

LATIN SELECTIONS

HOWARD

G W Johnston

EX LIBRIS
GEORGII WESLEY JOHNSTON
QUI QUUM EX ANNO A.D. MDCCCCVI
USQUE AD ANNUM MDCCCCXVII
LINGUAE LATINAE IN COLLEGIO
UNIVERSITATIS DOCTOR AUT
PROFESSOR ASSOCIATUS FUISSET
MENSE MAIO A.D. MDCCCCXVII MORTUUS EST
θήκης ἀγάλματ' αἱ πατούμεναι βίβλοι.

Cl. Sem.


·LaL.Gr
H8483ny

LATIN SELECTIONS

ILLUSTRATING PUBLIC LIFE IN THE
ROMAN COMMONWEALTH IN
THE TIME OF CICERO

BY

ALBERT A. HOWARD



181997
1.7.23.

GINN AND COMPANY
BOSTON · NEW YORK · CHICAGO · LONDON

COPYRIGHT, 1915, BY ALBERT A. HOWARD
ALL RIGHTS RESERVED

515.2



The Athenæum Press
GINN AND COMPANY · PROPRIETORS · BOSTON · U.S.A.

PREFACE

THE SELECTIONS included in this book are in no wise intended to exhaust the possibilities of Roman public life, but merely to furnish a limited amount of pertinent reading matter supplementary to the study of that subject, and to direct the attention of the student to the great mass of information, both conscious and unconscious, relating to it which is scattered through Latin literature, in the hope that he may be stimulated in his further reading of Latin authors to observe and utilize similar allusions.

While not all of the selections refer directly to occurrences in the time of Cicero, the details of public life depicted in them, the rules governing procedure in the various public assemblies and in the senate, the powers and the ceremonies of the magistrates as here shown, are theoretically, and even practically for the most part, identical with those of his time.

In order that any teacher who may use the book may be absolutely free to emphasize only such points as have especial interest for him, no explanatory notes have been added; in order that the student may not be unnecessarily confused by the numerous abbreviations and by a text disfigured by critical apparatus, the Lex Iulia Municipalis has been printed without any indication of the additions made to it by scholars, and with most of the abbreviations expanded. The Lex Quinctia de Aquaeductibus has, however, been printed in the regulation form, to give the student an idea of the extent to which abbreviations were

used in such documents, and also of the extent to which these documents have been corrected by scholars.

The editor is indebted to his colleagues, Professors George L. Kittredge and Carl N. Jackson, for sympathetic interest, and also for assistance in reading the proof.

ALBERT A. HOWARD

CAMBRIDGE,
MASSACHUSETTS

CONTENTS

LATIN SELECTIONS

THE ROMAN COMMONWEALTH

LIVY'S PREFACE

FACTURUSNE operae pretium sim, si a primordio urbis res populi Romani perscripserim, nec satis scio, nec, si sciam, dicere ausim, quippe qui cum veterem tum vulgatam esse rem videam, dum novi semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Utcumque erit, iuvabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro virili parte et ipsum consuluisse, et si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum me, qui nomini officient meo, consoler. Res est praeterea et inmensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur et quae ab exiguis profecta initiis eo creverit, ut iam magnitudine laboret sua, et legentium plerisque haud dubito quin primae origines proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint festinantibus ad haec nova, quibus iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt. Ego contra hoc quoque laboris praemium petam, ut me a conspectu malorum, quae nostra tot per annos vidit aetas, tantisper certe, dum prisca tota illa mente repeto, avertam, omnis expers curae, quae scribentis animum etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere posset.

Quae ante conditam condendamve urbem poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere in animo est. Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat, et si cui populo licere oportet consecrare origines suas et ad deos referre auctores, ea

belli gloria est populo Romano, ut, cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo quam imperium patiuntur.

Sed haec et his similia, utcumque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine; ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos viros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; labente deinde paulatim disciplina velut desidentis primo mores sequatur animo, deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in inlustri posita monumento intueri; inde tibi tuaeque rei publicae quod imitere capias, inde foedum inceptu, foedum exitu quod vites.

Ceterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla umquam res publica nec maior nec sanctior nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam civitatem tam serae avaritia luxuriaque inmigraverint, nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit; adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiae avaritiam et abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. Sed querellae, ne tum quidem gratae futurae, cum forsitan necessariae erunt, ab initio certe tantae ordiendae rei absint. Cum bonis potius ominibus votisque et precationibus deorum dearumque, si, ut poetis, nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, ut orsis tantum operis successus prosperos darent.

NAM cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex iis et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur, sic converso statu neque alia re Romana quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur. Ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt. Nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate. Tum quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiusquam Punicas Romanasve acies laetius extuleris: at multorum, qui Tiberio regente poenam vel infamias subiere, posteri manent. Utque familiae ipsae iam extinctae sint, reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent.

TAC. *Ann.* IV, 33

Cum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus et regnum eius rei publicae statum; cum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio regi dicitur; illa autem est civitas popularis — sic enim appellant — in qua in populo sunt omnia.

CIC. *de Rep.* I, 42

EA RES admonet ut de principiis iuris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.

Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere eoque sine poena aut coercitionibus agebant. Neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur: et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes multosque apud populos aeternum mansere. Quidam statim, aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt. Hae primo rudibus hominum animis simplices erant; maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus, ac mox Atheniensibus quaesitiores iam et plures Solo perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit, repertaque quaedam a Tullo et Anco. Sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent.

Pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae, creatique decemviri et accitis quae usquam egregia compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris. Nam secutae leges etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum et apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava per vim latae sunt. Hinc Gracchi et Saturnini turbatores plebis, nec minor largitor nomine senatus Drusus; corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii. Ac ne bello quidem Italico, mox civili omissum quin multa et diversa sciscerentur, donec L. Sulla dictator

abolitis vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium eius rei haud in longum paravit, statim turbidis Lepidi rogationibus, neque multo post tribunis reddita licentia quoquo vellent populum agitandi. Iamque non modo in commune sed in singulos homines latae quaestiones, et corruptissima re publica plurimae leges.

Tum Cn. Pompeius, tertium consul corrigendis moribus delectus, sed gravior remediis quam delicta erant suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur armis amisit. Exim continua per viginti annos discordia, non mos, non ius; deterrima quaeque inpune ac multa honesta exitio fuere. Sexto demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat abolevit deditque iura, quis pace et principe uteremur. Acriora ex eo vincla, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant urbemque et Italiam et quod usquam civium corripuerant, multorumque excisi status. Et terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio quinque consularium, quinque e praetoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, apud quos exsoluti plerique legis nexus modicum in praesens levamentum fuere.

TAC. *Ann.* III, 25, 3–28

Usu probatum est, patres conscripti, leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitus Iulias leges, magistratuum avaritia Calpurnia scita pepererunt; nam culpa quam poena tempore prior, emendari quam peccare posterius est.

TAC. *Ann.* XV, 20

HISTORY OF THE ROMAN COMMONWEALTH

URBEM Romam a principio reges habuere; libertatem et consulatum L. Brutus instituit. Dictaturae ad tempus sumebantur; neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu valuit. Non Cinnae, non Sullae longa dominatio, et Pompei Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit.

TAC. *Ann.* I, 1

CICERO'S IDEAL CONSTITUTION

IUSTA imperia sunto, isque cives modeste ac sine recusatione parento: magistratus nec oboedientem et noxium civem multa, vinculis verberibusve coherceto, ni par maiorve potestas populusve prohibessit, ad quos provocatio esto. Cum magistratus iudicassit inrogassitve, per populum multae poenae certatio esto. Militiae ab eo qui imperabit provocatio ne esto, quodque is qui bellum geret, imperassit, ius ratumque esto.

Minores magistratus partiti iuris ploeres im ploera sunto. Militiae, quibus iussi erunt, imperanto eorumque tribuni sunto: domi pecuniam publicam custodiunto, vincula sontium servanto, capitalia vindicanto, aes argentum aurumve publice signanto, litis contractas iudicanto, quodcumque senatus creverit agunto.

Suntoque aediles curatores urbis annonae ludorumque sollemnium, ollisque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto.

Censores populi aevitates, suboles, familias pecuniasque censento, urbis tecta templa, vias aquas, aerarium vectigalia tuento, populique partis in tribus discribunto, exin pecunias, aevitates, ordines partiunto, equitum peditumque prolem describunto, caelibes esse prohibento, mores populi regunto, probrum in senatu ne relinquunto: bini sunto, magistratum quinquennium habento (reliqui magistratus annui sunto) eaque potestas semper esto.

Iuris disceptator, qui privata iudicet iudicarive iubeat, praetor esto: is iuris civilis custos esto: huic potestate pari quotcumque senatus creverit populusve iusserit, tot sunto.

Regio imperio duo sunto, iique praeeundo, iudicando, consulendo praetores, iudices, consules appellamino: militiae summum ius habento, nemini parento: ollis salus populi suprema lex esto.

Eumdem magistratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito: aevitatem annali lege servanto.

Ast quando duellum gravius, discordiae civium escunt, oenus ne amplius sex menses, si senatus creverit, idem iuris quod duo consules teneto, isque ave sinistra dictus populi magister esto: equitatumque qui regat habeto pari iure cum eo, quicumque erit iuris disceptator.

Ast quando consules magisterve populi nec escunt, reliqui magistratus ne sunto: auspicia patrum sunto, ollique ec se produnto, qui comitiatu creare consules rite possiet.

Imperia, potestates, legationes, cum senatus creverit populusve iusserit, ex urbe exeunto, duella iusta iuste gerunto, sociis parcunto, se et suos continento, populi sui gloriam augento, domum cum laude redeunto.

Rei suae ergo ne quis legatus esto.

Plebes quos pro se contra vim auxilii ergo decem creassit, ei tribuni eius sunto, quodque ii prohibessint quodque

plebem rogassint, ratum esto: sanctique sunto neve plebem orbam tribunis relinquunto.

Omnes magistratus auspicium iudiciumque habento, exque is senatus esto: eius decreta rata sunto. Ast potestas par maiorve prohibessit, perscripta servanto.

Is ordo vitio vacato, ceteris specimen esto.

Creatio magistratuum, iudicia populi, iussa vetita cum suffragio cosciscentur, optumatibus nota, plebi libera sunto.

Ast quid erit quod extra magistratus coerari oesus sit, qui coercet populus creato eique ius coerandi dato.

Cum populo patribusque agendi ius esto consuli, praetori, magistro populi equitumque, eique quem patres produnt consulum rogandorum ergo; tribunisque quos sibi plebes creassit ius esto cum patribus agendi: idem ad plebem quod oesus erit ferunto.

Quae cum populo quaeque in patribus agentur, modica sunto.

Senatori qui nec aderit aut causa aut culpa esto: loco senator et modo orato, causas populi teneto.

Vis in populo abesto. Par maiorve potestas plus valeto. Ast quid turbassitur in agendo, fraus actoris esto. Intercessor rei malae salutaris civis esto.

Qui agent, auspicia servanto, auguri publico parento, promulgata, proposita, in aerario cognita agunto, nec plus quam de singulis rebus semul consulunto, rem populum docento, doceri a magistratibus privatisque patiunto.

Privilegia ne inroganto: de capite civis nisi per maximum comitiatum ollosque quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto.

Donum ne capiunto neve danto neve petenda neve gerenda neve gesta potestate. Quod quis earum rerum migrassit, noxiae poena par esto.

Censores fidem legum custodiunto: privati ad eos acta referunto nec eo magis lege liberi sunto.

Lex recitata est: discedere et tabellam iubebo dari.

Cic. *de Legg.* III, 6–11

VARIOUS DEFINITIONS OF LEX

QUID? C. Cassius, pari magnitudine animi et consilii praeditus, nonne eo ex Italia consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam? Qua lege? quo iure? Eo, quod Iuppiter ipse sanxit, ut omnia, quae rei publicae salutaria essent, legitima et iusta haberentur. Est enim lex nihil aliud nisi recta et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.

Cic. *Phil.* XI, 28

Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege, haud scio an recte, si modo, ut idem definiunt, lex est ratio summa, insita natura, quae iubet ea quae facienda sunt, prohibetque contraria: eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et perfecta, lex est. Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, ut recte facere iubeat, vetet delinquere. . . . Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit et appellare eam legem, quae scripta sancit quod volt aut iubendo aut prohibendo, ut volgus appellat; constituendi vero iuris ab illa summa lege capiamus exordium, quae saeclis omnibus ante nata est quam scripta lex ulla aut quam omnino civitas constituta.

Cic. *de Legg.* I, 18–19

QUID SIT ROGATIO, QUID LEX, QUID PLEBIS SCITUM, QUID PRIVILEGIUM; ET QUANTUM ISTA OMNIA DIFFERANT

QUAERI audio quid "lex" sit, quid "plebis scitum," quid "rogatio," quid "privilegium." Ateius Capito, publici privatique iuris peritissimus, quid "lex" esset hisce verbis definivit: Lex, inquit, est generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu. Ea definitio si probe facta est, neque de imperio Cn. Pompei neque de reditu M. Ciceronis neque de caede P. Clodi quaestio neque alia id genus populi plebisve iussa "leges" vocari possunt. Non sunt enim generalia iussa neque de universis civibus, sed de singulis concepta; quocirca "privilegia" potius vocari debent, quia veteres "priva" dixerunt, quae nos "singula" dicimus. Quo verbo Lucilius in primo satirarum libro usus est:

Abdomina thynni
advenientibus priva dabo cephalaeaque acarnae.

"Plebem" autem Capito in eadem definitione seorsum a populo divisit, quoniam in populo omnis pars civitatis omnesque eius ordines contineantur, "plebes" vero ea dicatur, in qua gentes civium patriciae non insunt. "Plebis scitum" igitur est, secundum eum Capitonem, lex quam plebes, non populus, accipit. Sed totius huius rei iurisque, sive cum populus sive cum plebes rogatur, sive quod ad singulos sive quod ad universos pertinet, caput ipsum et origo et quasi frons "rogatio" est. Ista enim omnia vocabula censentur continenturque "rogationis" principali genere et nomine: nam, ni populus aut plebs rogetur, nullum plebis aut populi iussum fieri potest.

Sed quamquam haec ita sunt, in veteribus tamen scriptis non magnam vocabulorum istorum differentiam esse animadvertimus. Nam et "plebis scita" et "privilegia" translaticio nomine "legis" appellaverunt eademque omnia confuso et indistincto vocabulo "rogationes" dixerunt. Sallustius quoque, proprietatum in verbis retentissimus, consuetudini concessit, et privilegium quod de Cn. Pompei reditu ferebatur, "legem" appellavit. Verba ex secunda eius historia haec sunt: nam illam Sullam consulem de reditu eius legem ferentem ex composito tr. pl. C. Herennius prohibuerat.

AUL. GELL. X, 20

DE IURE CIVILI ET NATURALI

OMNES populi qui legibus et moribus reguntur partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur: nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium est vocaturque ius civile, quasi ius proprium civitatis; quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peraeque custoditur vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utuntur. Populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utitur. Quae singula qualia sint, suis locis proponemus.

Constat autem ius civile populi Romani ex legibus, plebiscitis, senatus consultis, constitutionibus principum, edictis eorum qui ius edicendi habent, responsis prudentium. Lex est, quod populus iubet atque constituit. Plebiscitum est, quod plebs iubet atque constituit. Plebs autem a populo eo distat, quod populi appellatione universi cives significantur, connumeratis etiam patriciis; plebis autem appellatione sine patriciis ceteri cives significantur; unde olim

patricii dicebant plebiscitis se non teneri, quia sine auctoritate eorum facta essent; sed postea lex Hortensia lata est, qua cautum est ut plebiscita universum populum tenerent: itaque eo modo legibus exaequata sunt. Senatus consultum est, quod senatus iubet atque constituit; idque legis vicem optinet, quamvis fuerit quaesitum. Constitutio principis est, quod imperator decreto vel edicto vel epistula constituit. Nec umquam dubitatum est quin id legis vicem optineat, cum ipse imperator per legem imperium accipiat. Edicta sunt praecepta eorum qui ius edicendi habent. Ius autem edicendi habent magistratus populi Romani. Sed amplissimum ius est in edictis duorum praetorum, urbani et peregrini, quorum in provinciis iurisdictionem praesides earum habent; item in edicto aedilium curulium, quorum iurisdictionem in provinciis populi Romani quaestores habent; nam in provincias Caesaris omnino quaestores non mittuntur, et ob id hoc edictum in his provinciis non proponitur. Responsa prudentium sunt sententiae et opiniones eorum quibus permissum est iura condere. Quorum omnium si in unum sententiae concurrunt, id quod ita sentiunt legis vicem optinet; si vero dissentiunt, iudici licet quam velit sententiam sequi; idque rescripto divi Hadriani significatur.

DE IURIS DIVISIONE

Omne autem ius quo utimur vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Et prius videamus de personis.

DE CONDICIONE HOMINUM

Et quidem summa divisio de iure personarum haec est, quod omnes homines aut liberi sunt aut servi. Rursus liberorum hominum alii ingenui sunt, alii libertini. Ingenui

sunt, qui liberi nati sunt; libertini, qui ex iusta servitute manumissi sunt. Rursus libertinorum tria sunt genera: nam aut cives Romani aut Latini aut dediticiorum numero sunt. De quibus singulis dispiciamus; ac prius de dediticiis.

DE DEDITICIIS VEL LEGE AELIA SENTIA

Lege itaque Aelia Sentia (4 A.D.) cavetur ut qui servi a dominis poenae nomine vincti sint, quibusve stigmata inscripta sint, deve quibus ob noxam quaestio tormentis habita sit, et in ea noxa fuisse convicti sint, quive aut ferro aut cum bestiis depugnarent, traditi sint, inve ludum custodiamve coniecti fuerint, et postea vel ab eodem domino vel ab alio manumissi, eiusdem condicionis liberi fiant, cuius condicionis sunt peregrini dediticii.

DE PEREGRINIS DEDITICIIS

Vocantur autem peregrini dediticii hi qui quondam adversus populum Romanum armis susceptis pugnaverunt et deinde victi se dediderunt. Huius ergo turpitudinis servos quocumque modo et cuiuscumque aetatis manumissos, etsi pleno iure dominorum fuerint, numquam aut cives Romanos aut Latinos fieri dicemus, sed omnimodo dediticiorum numero constitui intellegemus.

Si vero in nulla tali turpitudine sit servus, manumissum modo civem Romanum, modo Latinum fieri dicemus. Nam in cuius persona tria haec concurrunt, ut maior sit annorum triginta, et ex iure Quiritium domini, et iusta ac legitima manumissione liberetur, id est vindicta aut censu aut testamento, is civis Romanus fit; sin vero aliquid eorum deerit, Latinus erit.

GAIUS, *Instit.* I, 1–17

METHOD OF FREEING FROM THE PATRIA POTESTAS

OMNES igitur liberorum personae, sive masculini sive feminini sexus, quae in potestate parentis sunt, mancipari ab hoc eodem modo possunt quo etiam servi mancipari possunt. Idem iuris est in earum personis, quae in manu sunt: nam feminae a coemptionatoribus eodem modo possunt mancipari quo liberi a parente possunt, in tantum quidem, ut quamvis ea sola apud coemptionatorem filiae loco sit quae ei nupta sit, tamen nihilo minus etiam quae ei nupta non sit nec ob id filiae loco sit, ab eo mancipari possit. Sed plerumque solum et a parentibus et a coemptionatoribus mancipantur, cum velint parentes coemptionatoresque e suo iure eas personas dimittere, sicut inferius evidentius apparebit. Est autem mancipatio, ut supra quoque diximus, imaginaria quaedam venditio: quod et ipsum ius proprium civium Romanorum est; eaque res ita agitur: adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus, et praeterea alio eiusdem condicionis qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens, is qui mancipio accipit, aes tenens ita dicit: "Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio isque mihi emptus esto hoc aere aeneaque libra"; deinde aere percutit libram idque aes dat ei a quo mancipio accipit, quasi pretii loco. Eo modo et serviles et liberae personae mancipantur.

Praeterea exeunt liberi virilis sexus de parentis potestate, si flamines Diales inaugurentur, et feminini sexus, si virgines Vestales capiantur. Olim quidem, quo tempore populus Romanus in Latinas regiones colonias deducebat, et qui iussu parentis in coloniam Latinam nomen dedissent, desinebant in potestate parentis esse, quia efficerentur alterius

civitatis cives. Praeterea emancipatione desinunt liberi in potestate parentium esse. Sed filius quidem tribus mancipationibus, ceteri vero liberi, sive masculini sexus sive feminini, una mancipatione exeunt de parentium potestate: lex enim XII tabularum tantum in persona filii de tribus mancipationibus loquitur his verbis: "Si pater ter filium venum duit, filius a patre liber esto." Eaque res ita agitur: mancipat pater filium alicui; is eum vindicta manumittit: eo facto revertitur in potestatem patris; is eum iterum mancipat vel eidem vel alii (sed in usu est, eidem mancipari) isque eum postea similiter vindicta manumittit, quo facto cum rursus in potestatem patris fuerit reversus, tertio pater eum mancipat vel eidem vel alii (sed hoc in usu est, ut eidem mancipetur) eaque mancipatione desinit in potestate patris esse, etiamsi nondum manumissus sit, sed adhuc in causa mancipii.

GAIUS, *Instit.* I, 117–120; 130–132

QUID SIT MUNICIPIUM ET QUID A COLONIA DIFFERAT

"MUNICIPES" et "municipia" verba sunt dictu facilia et usu obvia, et neutiquam reperias qui haec dicit, quin scire se plane putet quid dicat. Sed profecto aliud est, atque aliter dicitur. Quotus enim fere nostrum est, qui, cum ex colonia populi Romani sit, non se "municipem" esse et populares suos "municipes" esse dicat, quod est a ratione et a veritate longe aversum? Sic adeo et "municipia" quid et quo iure sint quantumque a "colonia" differant ignoramus, existimamusque meliore condicione esse "colonias" quam "municipia."

De cuius opinationis tam promiscae erroribus divus Hadrianus, in oratione quam de Italicensibus, unde ipse

ortus fuit, in senatu habuit, peritissime disseruit, mirarique se ostendit quod et ipsi Italicenses et quaedam item alia municipia antiqua, in quibus Uticenses nominat, cum suis moribus legibusque uti possent, in ius coloniarum mutari gestiverint. Praenestinos autem refert maximo opere a Tiberio imperatore petisse orasseque ut ex colonia in municipii statum redigerentur, idque illis Tiberium pro ferenda gratia tribuisse, quod in eorum finibus sub ipso oppido ex capitali morbo revaluisset.

"Municipes" ergo sunt cives Romani ex municipiis, legibus suis et suo iure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorari participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus neque ulla populi Romani lege adstricti, nisi in quam populus eorum fundus factus est. Primos autem municipes sine suffragii iure Caerites esse factos accepimus, concessumque illis ut civitatis Romanae honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atque oneribus vacarent pro sacris bello Gallico receptis custoditisque. Hinc "tabulae Caerites" appellatae versa vice, in quas censores referri iubebant quos notae causa suffragiis privabant.

Sed "coloniarum" alia necessitudo est; non enim veniunt extrinsecus in civitatem nec suis radicibus nituntur, sed ex civitate quasi propagatae sunt et iura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii, habent. Quae tamen condicio, cum sit magis obnoxia et minus libera, potior tamen et praestabilior existimatur propter amplitudinem maiestatemque populi Romani, cuius istae coloniae quasi effigies parvae simulacraque esse quaedam videntur, et simul quia obscura oblitterataque sunt municipiorum iura, quibus uti iam per innotitiam non queunt.

Aul. Gell. XVI, 13

MAGISTRATUS MAIORES ET MINORES

IN EDICTO consulum, quo edicunt quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scriptum ex vetere forma perpetua: ne quis magistratus minor de caelo servasse velit. Quaeri igitur solet, qui sint magistratus minores. Super hac re meis verbis nil opus fuit, quoniam liber M. Messalae auguris de auspiciis primus, cum hoc scriberemus, forte adfuit. Propterea ex eo libro verba ipsius Messalae subscripsimus: Patriciorum auspicia in duas sunt divisa potestates. Maxima sunt consulum, praetorum, censorum. Neque tamen eorum omnium inter se eadem aut eiusdem potestatis, ideo quod conlegae non sunt censores consulum aut praetorum, praetores consulum sunt. Ideo neque consules aut praetores censoribus neque censores consulibus aut praetoribus turbant aut retinent auspicia; at censores inter se, rursus praetores consulesque inter se et vitiant et optinent. Praetor, etsi conlega consulis est, neque praetorem neque consulem iure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus aut ante haec tempora servatum est et ut in commentario tertio decimo C. Tuditani patet, quia imperium minus praetor, maius habet consul, et a minore imperio maius aut maior a minore conlega rogari iure non potest. Nos his temporibus praetore praetores creante veterum auctoritatem sumus secuti neque his comitiis in auspicio fuimus. Censores aeque non eodem rogantur auspicio atque consules et praetores. Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Ideo illi "minores," hi "maiores" magistratus appellantur. Minoribus creatis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustus curiata datur lege; maiores centuriatis comitiis fiunt.

Ex his omnibus verbis Messalae manifestum fit, et qui sint magistratus minores et quam ob rem "minores" appellentur. Sed et conlegam esse praetorem consuli docet, quod eodem auspicio creantur. Maiora autem dicuntur auspicia habere, quia eorum auspicia magis rata sunt quam aliorum.

AUL. GELL. XIII, 15

TERMS OF OFFICE HOLDING

ISDEM consulibus P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum qui quaesturam adipiscerentur. Apud maiores virtutis id praemium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem distinguebatur, quin prima iuventa consulatum et dictaturas inirent. Sed quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex curiata ostendit ab L. Bruto repetita. Mansitque consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. Creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus sexagensimo tertio anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis duo additi, qui Romae curarent: mox duplicatus numerus, stipendiaria iam Italia et accedentibus provinciarum vectigalibus: post lege Sullae viginti creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. Et quamquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolabellae velut venundaretur.

TAC. *Ann.* XI, 22 (47 A.D.)

CURSUS HONORUM

GERENDORUM honorum non promiscua facultas est, sed ordo certus huic rei adhibitus est. Nam neque prius maiorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere potest, neque ab omni aetate, neque continuare quisque honores potest.

Digest. 50, 4, 14, 5

Quaestura primus gradus honoris.

CIC. *in Verrem*, I, 11

Honorum populi finis est consulatus, quem magistratum iam octingenti fere consecuti sunt. CIC. *pro Plancio*, 60

Magnum ingenium L. Luculli magnumque optimarum artium studium, tum omnis liberalis et digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in foro maxume potuit, caruit omnino rebus urbanis. Ut enim admodum adulescens cum fratre pari pietate et industria praedito paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus, in Asiam quaestor profectus, ibi per multos annos admirabili quadam laude provinciae praefuit; deinde absens factus aedilis, continuo praetor — licebat enim celerius legis praemio — post in Africam, inde ad consulatum; quem ita gessit ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoscerent. CIC. *Acad. Prior.* II, 1

Magistratus et maturius incohavit et paene iunctim percucurrit, quaesturam, praeturam, consulatum.

SUET. *Tib.* 9

Primum stipendium meruit annorum decem septemque. Q. Fabio M. Claudio consulibus tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudi Neronis, magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Quaestor obtigit P. Africano consuli, cum quo non pro sortis necessitudine vixit. Namque ab eo perpetua dissensit vita. Aedilis plebei factus est cum C. Helvio. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quaestor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poetam deduxerat, quod non minoris aestimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco. Sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem ex ea triumphum deportavit.

NEPOS, *Cato*, I

LEGES ANNALES

QUID est enim, patres conscripti, cur eum non quam primum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim annalibus cum grandiorem aetatem ad consulatum constituebant, adulescentiae temeritatem verebantur: C. Caesar ineunte aetate docuit ab excellenti eximiaque virtute progressum aetatis exspectari non oportere. Itaque maiores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annalis non habebant, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter aequalis. Ita saepe magna indoles virtutis, prius quam rei publicae prodesse potuisset, exstincta est. At vero apud antiquos Rulli, Decii, Corvini multique alii, recentiore autem memoria superior Africanus, T. Flamininus admodum adulescentes consules facti tantas res gesserunt, ut populi Romani imperium auxerint, nomen ornarint.

Quid? Macedo Alexander, cum ab ineunte aetate res maximas gerere coepisset, nonne tertio et tricesimo anno mortem obiit? quae est aetas nostris legibus decem annis minor quam consularis.

Cic. *Phil.* V, 47

Iudices a tricensimo aetatis anno adlegit, id est quinquennio maturius quam solebant.

Suet. *Aug.* 32, 3

Quid tam singulare quam ut ex senatus consulto legibus solutus consul ante fieret quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset? (Pompey aged 35)

Cic. *de Imperio Pomp.* 62

Eo anno (180 B.C.) rogatio primum lata est ab L. Villio tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque. Inde cognomen familiae inditum, ut Annales appellarentur.

Livy, XXXX, 44

CICERO'S CANDIDACY FOR THE CONSULSHIP (65 B.C.)

CICERO ATTICO SAL.

PETITIONIS nostrae, quam tibi summae curae esse scio, huius modi ratio est quod adhuc coniectura provideri possit. Prensat unus P. Galba. Sine fuco ac fallaciis more maiorum negatur. Ut opinio est hominum, non aliena rationi nostrae fuit illius haec praepropera prensatio. Nam illi ita negant vulgo ut mihi se debere dicant. Ita quiddam spero nobis profici, cum hoc percrebrescit, plurimos nostros amicos inveniri. Nos autem initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tempore quo tuum puerum cum his litteris proficisci Cincius dicebat, in

campo comitiis tribuniciis a. d. XVI Kalend. Sextilis. Competitores qui certi esse videantur, Galba et Antonius et Q. Cornificius. Puto te in hoc aut risisse aut ingemuisse. Ut frontem ferias, sunt qui etiam Caesonium putent. Aquilium non arbitrabamur, qui denegavit et iuravit morbum et illud suum regnum iudiciale opposuit. Catilina, si iudicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor. De Aufidio et de Palicano non puto te exspectare dum scribam. De iis qui nunc petunt Caesar certus putatur. Thermus cum Silano contendere existimatur; qui sic inopes et ab amicis et existimatione sunt ut mihi videatur non esse *ἀδύνατον* Curium obducere. Sed hoc praeter me nemini videtur. Nostris rationibus maxime conducere videtur Thermum fieri cum Caesare. Nemo est enim ex iis qui nunc petunt qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur, propterea quod curator est viae Flaminiae † que cum erit absoluta sane facile eum libenter nunc ceteri consuli acciderim.† Petitorum haec est adhuc informata cogitatio. Nos in omni munere candidatorio fungendo summam adhibebimus diligentiam et fortasse, quoniam videtur in suffragiis multum posse Gallia, cum Romae a iudiciis forum refrixerit, excurremus mense Septembri legati ad Pisonem ut Ianuario revertamur. Cum perspexero voluntates nobilium, scribam ad te. Cetera spero prolixa esse his dumtaxat urbanis competitoribus. Illam manum tu mihi cura ut praestes, quoniam propius abes, Pompei, nostri amici. Nega me ei iratum fore si ad mea comitia non venerit. Atque haec huius modi sunt.

Sed est quod abs te mihi ignosci pervelim. Caecilius, avunculus tuus, a P. Vario cum magna pecunia fraudaretur, agere coepit cum eius fratre A. Caninio Satyro de iis rebus quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario

diceret. Una agebant ceteri creditores, in quibus erat L. Lucullus et P. Scipio et is quem putabant magistrum fore si bona venirent, L. Pontius. Verum hoc ridiculum est de magistro. Nunc cognosce rem. Rogavit me Caecilius ut adessem contra Satyrum. Dies fere nullus est quin hic Satyrus domum meam ventitet; observat L. Domitium maxime, me habet proximum ; fuit et mihi et Quinto fratri magno usui in nostris petitionibus. Sane sum perturbatus cum ipsius Satyri familiaritate tum Domiti, in quo uno maxime ambitio nostra nititur. Demonstravi haec Caecilio simul et illud ostendi, si ipse unus cum illo uno contenderet, me ei satis facturum fuisse ; nunc in causa universorum creditorum, hominum praesertim amplissimorum, qui sine eo quem Caecilius suo nomine perhiberet facile causam communem sustinerent, aequum esse eum et officio meo consulere et tempori. Durius accipere hoc mihi visus est quam vellem et quam homines belli solent, et postea prorsus ab instituta nostra paucorum dierum consuetudine longe refugit.

Abs te peto ut mihi hoc ignoscas et me existimes humanitate esse prohibitum ne contra amici summam existimationem miserrimo eius tempore venirem, cum is omnia sua studia et officia in me contulisset. Quod si voles in me esse durior, ambitionem putabis mihi obstitisse. Ego autem arbitror, etiam si id sit, mihi ignoscendum esse,

ἐπεὶ οὐχ ἱερήιον οὐδὲ βοείην.

Vides enim in quo cursu simus et quam omnis gratias non modo retinendas verum etiam acquirendas putemus. Spero tibi me causam probasse, cupio quidem certe.

Hermathena tua valde me delectat et posita ita belle est ut totum gymnasium eius *ἀνάθημα* esse videatur. Multum te amamus.

Cic. *ad Att.* I, 1

SEX competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam; quattuor plebeios, ex quibus duos nobiles, C. Antonium, M. Antoni oratoris filium, L. Cassium Longinum, duos qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium et C. Licinium Sacerdotem. Solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus; atque in petitione patrem amisit. Ceteri eius competitores modeste se gessere, visique sunt Q. Cornificius et Galba sobrii (ac) sancti viri, Sacerdos nulla improbitate notus; Cassius quamvis stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in coniuratione Catilinae esse eum apparuit ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem. Itaque hi quattuor prope iacebant. Catilina autem et Antonius, quamquam omnium maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. Coierant enim ambo ut Ciceronem consulatu deicerent, adiutoribus usi firmissimis M. Crasso et C. Caesare. Itaque haec oratio contra solos Catilinam et Antonium est. Causa orationis huiusmodi in senatu habendae Ciceroni fuit, quod cum in dies licentia ambitus augeretur propter praecipuam Catilinae et Antoni audaciam, censuerat senatus ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur; eique rei Q. Mucius Orestinus tr. pl. intercesserat. Tum Cicero graviter senatu intercessionem ferente surrexit atque in coitionem Catilinae et Antoni invectus est ante dies comitiorum paucos.

. . . .

Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant invecti in novitatem eius. Feruntur quoque orationes nomine illorum

editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus: quas nescio an satius sit ignorare. Ceterum Cicero consul omnium consensu factus est: Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit, cum ei propter patris nomen paulo speciosior manus suffragata esset quam Catilinae.

Asconius, *In orationem in toga candida*

CAESAR JUSTIFIES HIS CANDIDACY FOR THE CONSULSHIP

HIS rebus confectis Caesar, ut reliquum tempus a labore intermitteretur, milites in proxima municipia deducit; ipse ad urbem proficiscitur. Coacto senatu iniurias inimicorum commemorat. Docet se nullum extraordinarium honorem appetisse, sed expectato legitimo tempore consulatus eo fuisse contentum quod omnibus civibus pateret. Latum ab X tribunis plebis contradicentibus inimicis, Catone vero acerrime repugnante et pristina consuetudine dicendi mora dies extrahente, ut sui ratio absentis haberetur, ipso consule Pompeio; qui si improbasset, cur ferri passus esset? si probasset, cur se uti populi beneficio prohibuisset? Patientiam proponit suam, cum de exercitibus dimittendis ultro postulavisset; in quo iacturam dignitatis atque honoris ipse facturus esset. Acerbitatem inimicorum docet, qui quod ab altero postularent in se recusarent, atque omnia permisceri mallent quam imperium exercitusque dimittere. Iniuriam in eripiendis legionibus praedicat, crudelitatem et insolentiam in circumscribendis tribunis plebis; condiciones a se latas, expetita colloquia et denegata commemorat. Pro quibus rebus hortatur ac postulat, ut rem publicam suscipiant atque una secum administrent. Sin timore defugiant,

illis se oneri non futurum et per se rem publicam administraturum. Legatos ad Pompeium de compositione mitti oportere: neque se reformidare, quod in senatu Pompeius paulo ante dixisset, ad quos legati mitterentur, his auctoritatem attribui, timoremque eorum qui mitterent significari. Tenuis atque infirmi haec animi videri. Se vero, ut operibus anteire studuerit, sic iustitia et aequitate velle superare.

Probat rem senatus de mittendis legatis; sed qui mitterentur non reperiebantur, maximeque timoris causa pro se quisque id munus legationis recusabat. Pompeius enim discedens ab urbe in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romae remansissent et qui in castris Caesaris fuissent. Sic triduum disputationibus excusationibusque extrahitur. Subicitur etiam L. Metellus tribunus plebis ab inimicis Caesaris, qui hanc rem distrahat reliquasque res, quascumque agere instituerit, impediat. Cuius cognito consilio Caesar frustra diebus aliquot consumptis, ne reliquum tempus amittat, infectis iis quae agere destinaverat, ab urbe proficiscitur atque in ulteriorem Galliam pervenit.

CAESAR, *Bell. Civ.* I, 32–33

Marcus Claudius Marcellus consul, edicto praefatus de summa se re publica acturum, rettulit ad senatum ut ei succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset ac dimitti deberet victor exercitus; et ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebi scito Pompeius postea abrogasset. Acciderat autem ut is legem de iure magistratuum ferens, eo capite quo petitione honorum absentis submovebat, ne Caesarem quidem exciperet per oblivionem, ac mox lege iam in aes incisa et in aerarium condita corrigeret errorem.

SUET. *Iul.* 28

LETTER IN SUPPORT OF MILO'S CANDIDACY FOR THE CONSULSHIP (53 B.C.)

M. CICERO S. D. C. CURIONI

NONDUM erat auditum te ad Italiam adventare, cum Sex. Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te litteris misi. Sed tamen, cum adpropinquare tuus adventus putaretur, et te iam ex Asia Romam versus profectum esse constaret, magnitudo rei fecit ut non vereremur ne nimis cito mitteremus, cum has quam primum ad te perferri litteras magno opere vellemus. Ego, si mea in te essent officia solum, Curio, tanta quanta magis a te ipso praedicari quam a me ponderari solent, verecundius a te, si quae magna res mihi petenda esset, contenderem; grave est enim homini pudenti petere aliquid magnum ab eo de quo se bene meritum putet, ne id quod petat exigere magis quam rogare et in mercedis potius quam benefici loco numerare videatur. Sed, quia tua in me vel nota omnibus vel ipsa novitate meorum temporum clarissima et maxima beneficia exstiterunt, estque animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere, non dubitavi id a te per litteras petere, quod mihi omnium esset maximum maximeque necessarium. Neque enim sum veritus ne sustinere tua in me vel innumerabilia non possem, cum praesertim confiderem nullam esse gratiam tuam, quam non vel capere animus meus in accipiendo vel in remunerando cumulare atque inlustrare posset.

Ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi et locavi statuique in eo me non offici solum fructum sed etiam pietatis laudem debere quaerere; neque

vero cuiquam salutem ac fortunas suas tantae curae fuisse umquam puto, quantae mihi sit honos eius, in quo omnia mea posita esse decrevi. Huic te unum tanto adiumento esse, si volueris, posse intellego, ut nihil sit praeterea nobis requirendum. Habemus haec omnia, bonorum studium conciliatum ex tribunatu propter nostram, ut spero te intellegere, causam, vulgi ac multitudinis propter magnificentiam munerum liberalitatemque naturae, iuventutis et gratiosorum in suffragiis studia propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam vel diligentiam, nostram suffragationem, si minus potentem, at probatam tamen et iustam et debitam et propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis et auctor opus est, et eorum ventorum quos proposui moderator quidam et quasi gubernator. Qui si ex omnibus unus optandus esset, quem tecum conferre possemus non haberemus. Quam ob rem, si me memorem, si gratum, si bonum virum vel ex hoc ipso, quod tam vehementer de Milone laborem, existimare potes, si dignum denique tuis beneficiis iudicas, hoc a te peto, ut subvenias huic meae sollicitudini et huic meae laudi vel, ut verius dicam, prope saluti tuum studium dices. De ipso T. Annio tantum tibi polliceor, te maioris animi, gravitatis, constantiae benevolentiaeque erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem ; mihi vero tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facile adgnoscam fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego ni te videre scirem qua mente haec scriberem, quantum offici sustinerem, quanto opere mihi esset in hac petitione Milonis omni non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum, plura scriberem ; nunc tibi omnem rem atque causam meque totum commendo atque trado. Unum hoc sic habeto, si a te hanc rem impetraro, me paene plus tibi

quam ipsi Miloni debiturum; non enim mihi tam mea salus cara fuit, in qua praecipue sum ab illo adiutus, quam pietas erit in referenda gratia iucunda; eam autem unius tuo studio me adsequi posse confido. CIC. *ad Fam.* II, 6

CICERO'S CRITICISM OF THE POWER OF THE TRIBUNES

SED sequitur lex, quae sancit eam tribunorum plebis potestatem quae est in re publica nostra: de qua disseri nihil necesse est. *Q.* At me hercule ego, frater, quaero, de ista potestate quid sentias; nam mihi quidem pestifera videtur, quippe quae in seditione et ad seditionem nata sit: cuius primum ortum, si recordari volumus, inter arma civium et occupatis et obsessis urbis locis procreatum vidimus; deinde cum esset cito necatus tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer, brevi tempore nescio quo pacto recreatus multoque taetrior et foedior renatus est. Quid enim ille non edidit? qui primum, ut impio dignum fuit, patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit; cum adflixisset principum gravitatem, numquam tamen conquievit. Namque ut C. Flaminium atque ea quae iam prisca videntur propter vetustatem relinquam, quid iuris bonis viris Tiberii Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante Decimum Brutum et P. Scipionem consules — quos et quantos viros! — homo omnium infimus et sordidissimus, tribunus pl. C. Curatius in vincula coniecit, quod ante factum non erat. C. vero Gracchus ruinis et iis sicis quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem rei publicae statum perturbavit? Quid iam de Saturnino, Sulpicio, reliquis dicam? quos ne

depellere quidem a se sine ferro potuit res publica. Cur autem aut vetera aut aliena proferam potius quam et nostra et recentia? Quis umquam tam audax, tam nobis inimicus fuisset, ut cogitaret umquam de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunicium exacuisset in nos? quem cum homines scelerati ac perditi non modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentis sibi in tenebris rei publicae perturbandas putaverunt. Quod nobis quidem egregium et ad inmortalitatem memoriae gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno. Sed ille quas strages edidit! eas videlicet, quas sine ratione ac sine ulla spe bona furor edere potuit inpurae beluae multorum inflammatus furoribus. Quam ob rem in ista quidem re vehementer Sullam probo, qui tribunis pl. sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit, Pompeiumque nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque ecfero laudibus, de tribunicia potestate taceo; nec enim reprehendere libet nec laudare possum. *M.* Vitia quidem tribunatus praeclare, Quinte, perspicis, sed est iniqua in omni re accusanda praetermissis bonis malorum enumeratio vitiorumque selectio: nam isto quidem modo vel consulatus vituperari potest, si consulum quos enumerare nolo peccata conlegeris; ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali, sed bonum quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus. "Nimia potestas est tribunorum pl." Quis negat? Sed vis populi multo saevior multoque vehementior, quae, ducem quod habet, interdum lenior est quam si nullum haberet; dux enim suo se periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem sui non habet. "At aliquando incenditur." Et quidem saepe sedatur. Quod enim est tam desperatum

collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? Quin ipsum Ti. Gracchum non solum neglectus, sed etiam sublatus intercessor evertit; quid enim illum aliud perculit nisi quod potestatem intercedenti collegae abrogavit? Sed tu sapientiam maiorum in illo vide: concessa plebi a patribus ista potestate arma ceciderunt, restincta seditio est, inventum est temperamentum quo tenuiores cum principibus aequari se putarent, in quo uno fuit civitatis salus. "At duo Gracchi fuerunt." Et praeter eos quamvis enumeres multos licet, cum deni creentur, non nullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos, leves etiam quam bonos fortasse plures: invidia quidem summus ordo caret, plebes de suo iure periculosas contentiones nullas facit. Quam ob rem aut exigendi reges non fuerunt aut plebi re, non verbo danda libertas: quae tamen sic data est, ut multis praeclaris institutis adduceretur ut auctoritati principum cederet. Nostra autem causa, quae, optume et dulcissime frater, incidit in tribuniciam potestatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu; non enim plebes nostris rebus invidit, sed vincula soluta sunt et servitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. Neque nobis cum illa tum peste certamen fuit, sed cum gravissimo rei publicae tempore, cui nisi cessissem, non diuturnum beneficii mei patria fructum tulisset. Atque haec rei exitus indicavit: quis enim non modo liber, sed servus libertate dignus fuit, cui nostra salus cara non esset? Quod si is casus fuisset rerum quas pro salute rei publicae gessimus, ut non omnibus gratus esset, et si nos multitudinis furentis inflammata invidia pepulisset tribuniciaque vis in me populum, sicut Gracchus in Laenatem, Saturninus in Metellum, incitasset, ferremus, o Quinte frater, consolarenturque nos non tam philosophi qui Athenis fuerunt, [qui hoc facere debent,] quam clarissimi viri qui

illa urbe pulsi carere ingrata civitate quam manere in inproba maluerunt. Pompeium vero quod una ista in re non ita valde probas, vix satis mihi illud videris attendere, non solum ei quid esset optimum videndum fuisse, sed etiam quid necessarium: sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem; quippe quam tanto opere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? Sapientis autem civis fuit causam nec perniciosam et ita popularem ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere. Scis solere, frater, in huius modi sermone, ut transiri alio possit, dici "admodum" aut "prorsus ita est." *Q.* Haud equidem adsentior, tu tamen ad reliqua pergas velim. *M.* Perseveras tu quidem et in tua vetere sententia permanes. *Att.* Nec me hercule ego sane a Quinto nostro dissentio, sed ea quae restant audiamus.

CIC. *de Legg.* III, 19–26

SIDE LIGHTS ON THE POWER OF THE TRIBUNES

CONSULIS an existimem te in tribunatu causas agere debere. Plurimum refert quid esse tribunatum putes, inanem umbram et sine honore nomen an potestatem sacrosanctam et quam in ordinem cogi ut a nullo ita ne a se quidem deceat. Ipse cum tribunus essem, erraverim fortasse qui me aliquid putavi, sed tamquam essem, abstinui causis agendis: primum, quod deforme arbitrabar, cui adsurgere, cui loco cedere omnis oporteret, hunc omnibus sedentibus stare; et qui iubere posset tacere quemcumque, huic silentium clepsydra indici; et quem interfari nefas esset, hunc etiam convicia audire, et si inulta pateretur, inertem, si ulcisceretur, insolentem videri.

Erat hic quoque aestus ante oculos, si forte me appellasset vel ille cui adessem vel ille quem contra, intercederem et auxilium ferrem, an quiescerem sileremque et quasi eiurato magistratu privatum ipse me facerem. His rationibus motus, malui me tribunum omnibus exhibere quam paucis advocatum. Sed tu, iterum dicam, plurimum interest quid esse tribunatum putes, quam personam tibi inponas, quae sapienti viro ita aptanda est ut perferatur. Vale.

PLIN. *Ep.* I, 23

DECREE OF THE TRIBUNES RESTRAINING AN AEDILE (150 B.C.)

CUM librum VIII Atei Capitonis coniectaneorum legeremus qui inscriptus est de iudiciis publicis, decretum tribunorum visum est gravitatis antiquae plenum. Propterea id meminimus, idque ob hanc causam et in hanc sententiam scriptum est: Aulus Hostilius Mancinus aedilis curulis fuit. Is Maniliae meretrici diem ad populum dixit eo quod e tabulato eius noctu lapide ictus esset, vulnusque ex eo lapide ostendebat. Manilia ad tribunos plebi provocavit. Apud eos dixit comessatorem Mancinum ad aedes suas venisse; eum sibi recipere non fuisse e re sua, sed cum vi inrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreverunt aedilem ex eo loco iure deiectum, quo eum venire cum corollario non decuisset. Propterea ne cum populo aedilis ageret intercesserunt.

AUL. GELL. IIII, 14

IN QUADAM epistula Atei Capitonis scriptum legimus Labeonem Antistium legum atque morum populi Romani iurisque civilis doctum adprime fuisse. Sed agitabat, inquit, hominem libertas quaedam nimia atque vecors, tamquam eorum, Divo Augusto iam principe et rem publicam obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod iustum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset, ac deinde narrat quod idem Labeo per viatorem a tribunis plebi vocatus responderit: Cum a muliere, inquit, quadam tribuni plebis adversum eum aditi in Gallianum ad eum misissent, ut veniret et mulieri responderet, iussit eum qui missus erat redire, et tribunis dicere ius eos non habere neque se neque alium quemquam vocandi, quoniam moribus maiorum tribuni plebis prensionem haberent, vocationem non haberent: posse igitur eos venire et prendi se iubere, sed vocandi absentem ius non habere.

Cum hoc in ea Capitonis epistula legissemus, id ipsum postea in M. Varronis rerum humanarum uno et vicensimo libro enarratius scriptum invenimus, verbaque ipsa super ea re Varronis adscripsimus: In magistratu, inquit, habent alii vocationem, alii prensionem, alii neutrum: vocationem, ut consules et ceteri qui habent imperium; prensionem, ut tribuni plebis et alii qui habent viatorem; neque vocationem neque prensionem, ut quaestores et ceteri qui neque lictorem habent neque viatorem. Qui vocationem habent, idem prendere, tenere, abducere possunt, et haec omnia sive adsunt quos vocant sive acciri iusserunt. Tribuni plebis vocationem habent nullam; neque minus multi imperiti, proinde atque haberent, ea sunt usi; nam quidam non modo privatum, sed etiam consulem in rostra vocari

iusserunt. Ego triumvirum, vocatus a Porcio, tribuno plebis, non ivi, auctoribus principibus, et vetus ius tenui. Item tribunus cum essem, vocari neminem iussi, nec vocatum a conlega parere invitum.

Huius ego iuris, quod M. Varro tradit, Labeonem arbitror vana tunc fiducia, cum privatus esset, vocatum a tribunis non isse. Quae, malum, autem ratio fuit vocantibus nolle obsequi, quos confiteare ius habere prendendi? Nam qui iure prendi potest, et in vincula duci potest. Sed quaerentibus nobis, quam ob causam tribuni, qui haberent summam coercendi potestatem, ius vocandi non habuerint, . . . quod tribuni plebis antiquitus creati videntur non iuri dicundo nec causis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis (quibus praesens fuisset) ut iniuria quae coram fieret arceretur; ac propterea ius abnoctandi ademptum, quoniam, ut vim fieri vetarent, adsiduitate eorum et praesentium oculis opus erat.

AUL. GELL. XIII, 12

DECREES OF THE TRIBUNES

PULCHRUM atque liberale atque magnanimum factum Tiberii Sempronii Gracchi in exemplis repositum est. Id exemplum huiusce modi est: L. Scipioni Asiatico, P. Scipionis Africani superioris fratri, C. Minucius Augurinus tribunus plebi multam irrogavit eumque ob eam causam praedes poscebat. Scipio Africanus fratris nomine ad collegium tribunorum provocabat petebatque ut virum consularem triumphalemque a collegae vi defenderent. Octo tribuni, cognita causa, decreverunt.

Eius decreti verba, quae posui, ex annalium monumentis exscripta sunt: Quod P. Scipio Africanus postulavit pro

L. Scipione Asiatico fratre, cum contra leges contraque morem maiorum tribunus pl. hominibus accitis per vim inauspicato sententiam de eo tulerit multamque nullo exemplo irrogaverit praedesque eum ob eam rem dare cogat aut, si non det, in vincula duci iubeat, ut eum a collegae vi prohibeamus. Et quod contra collega postulavit ne sibi intercedamus quominus suapte potestate uti liceat, de ea re nostrum sententia omnium ea est: si L. Cornelius Scipio Asiaticus collegae arbitratu praedes dabit, collegae ne eum in vincula ducat intercedemus; si eius arbitratu praedes non dabit, quominus collega sua potestate utatur non intercedemus.

Post hoc decretum, cum Augurinus tribunus L. Scipionem praedes non dantem prendi et in carcerem duci iussisset, tunc Tiberius Sempronius Gracchus tr. pl., pater Tiberi atque C. Gracchorum, cum P. Scipioni Africano inimicus gravis ob plerasque in re publica dissensiones esset, iuravit palam in amicitiam inque gratiam se cum P. Africano non redisse, atque ita decretum ex tabula recitavit.

Eius decreti verba haec sunt: Cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans hostium duces in carcerem coniectarit, alienum videtur esse dignitate rei publicae in eum locum imperatorem populi Romani duci, in quem locum ab eo coniecti sunt duces hostium; itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum a collegae vi prohibeo.

Valerius autem Antias contra hanc decretorum memoriam contraque auctoritates veterum annalium post Africani mortem intercessionem istam pro Scipione Asiatico factam esse a Tiberio Graccho dixit, neque multam irrogatam Scipioni, sed damnatum eum peculatus ob Antiochinam pecuniam, quia praedes non daret, in carcerem duci coeptum atque ita intercedente Graccho exemptum.

AUL. GELL. VI, 19

QUOD sequitur vero non solum ad religionem pertinet, sed etiam ad civitatis statum, ut sine iis qui sacris publice praesint religioni privatae satis facere non possint; continet enim rem publicam consilio et auctoritate optimatium semper populum indigere, discriptioque sacerdotum nullum iustae religionis genus praetermittit. Nam sunt ad placandos deos alii constituti qui sacris praesint sollemnibus, ad interpretanda alii praedicta vatium, neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa quae suscepta publice essent quisquam extra conlegium nosset. Maximum autem et praestantissimum in re publica ius est augurum cum auctoritate coniunctum. Neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia vel instituta dimittere vel habita rescindere? Quid gravius quam rem susceptam dirimi, si unus augur "alio die" dixerit? Quid magnificentius quam posse decernere ut magistratu se abdicent consules? Quid religiosius quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare aut non dare? leges non iure rogatas tollere, ut Titiam decreto conlegii, ut Livias consilio Philippi, consulis et auguris? nihil domi, nihil militiae per magistratus gestum sine eorum auctoritate posse cuiquam probari?

CIC. *de Legg.* II, 30–31

POPULARES AND OPTIMATES

DUO genera semper in hac civitate fuerunt eorum qui versari in re publica atque in ea se excellentius gerere studuerunt: quibus ex generibus alteri se popularis, alteri optimates et haberi et esse voluerunt. Qui ea quae faciebant quaeque dicebant multitudini iucunda volebant esse, populares, qui autem ita se gerebant ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur. Quis ergo iste optimus quisque? Numero, si quaeris, innumerabiles; neque enim aliter stare possemus: sunt principes consilii publici, sunt qui eorum sectam sequuntur, sunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia, sunt municipales rusticique Romani, sunt negotii gerentes, sunt etiam libertini optimates. Numerus, ut dixi, huius generis late et varie diffusus est, sed genus universum, ut tollatur error, brevi circumscribi et definiri potest: omnes optimates sunt qui neque nocentes sunt nec natura improbi nec furiosi nec malis domesticis impediti; est igitur ut ei sint, quam tu nationem appellasti, qui integri sunt et sani et bene de rebus domesticis constituti. Horum qui voluntati, commodis, opinionibus in gubernanda re publica serviunt, defensores optimatium ipsique optimates gravissimi et clarissimi cives numerantur et principes civitatis.

PROPOSED PLATFORM FOR THE OPTIMATES

Quid est igitur propositum his rei publicae gubernatoribus quod intueri et quo cursum suum derigere debeant? Id quod est praestantissimum maximeque optabile omnibus sanis et bonis et beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes optimates, qui efficiunt, summi viri et

conservatores civitatis putantur; neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita convenit ut otio non prospiciant, neque ullum amplexari otium quod abhorreat a dignitate. Huius autem otiosae dignitatis haec fundamenta sunt, haec membra, quae tuenda principibus et vel capitis periculo defendenda sunt: religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iuris dictio, fides, provinciae, socii, imperii laus, res militaris, aerarium. Harum rerum tot atque tantarum esse defensorem et patronum magni animi est, magni ingenii magnaeque constantiae: etenim in tanto civium numero magna multitudo est eorum qui aut propter metum poenae peccatorum suorum conscii novos motus conversionesque rei publicae quaerant, aut qui propter insitum quendam animi furorem discordiis civium ac seditione pascantur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint quam suo deflagrare; qui cum tutores sunt et duces suorum studiorum vitiorumque nacti, in re publica fluctus excitantur, ut vigilandum sit eis qui sibi gubernacula patriae depoposcerunt, enitendumque omni scientia ac diligentia ut, conservatis eis quae ego paulo ante fundamenta ac membra esse dixi, tenere cursum possint et capere otii illum portum et dignitatis. Hanc ego viam, iudices, si aut asperam atque arduam aut plenam esse periculorum et insidiarum negem, mentiar, praesertim cum id non modo intellexerim semper, sed etiam praeter ceteros senserim. Maioribus praesidiis et copiis oppugnatur res publica quam defenditur, propterea quod audaces homines et perditi nutu impelluntur et ipsi etiam sponte sua contra rem publicam incitantur; boni nescio quo modo tardiores sunt et principiis rerum neglectis ad extremum ipsa denique necessitate excitantur, ita ut non numquam

cunctatione ac tarditate, dum otium volunt etiam sine dignitate retinere, ipsi utrumque amittant; propugnatores autem rei publicae qui esse voluerunt, si leviores sunt, desciscunt; si timidiores, desunt.

Cic. *pro P. Sestio*, 96–101

QUID SINT PROLETARII, QUID CAPITE CENSI; QUID ITEM SIT IN XII TABULIS ADSIDUUS

OTIUM erat quodam die Romae in foro a negotiis et laeta quaedam celebritas feriarum, legebaturque in consessu forte conplurium Enni liber ex Annalibus. In eo libro versus hi fuere:

Proletarius publicitus scutisque feroque
ornatur ferro; muros urbemque forumque
excubiis curant.

Tum ibi quaeri coeptum est quid esset "proletarius." Atque ego, aspiciens quempiam in eo circulo ius civile callentem, familiarem meum, rogabam ut id verbum nobis enarraret, et, cum illic se iuris, non rei grammaticae, peritum esse respondisset: "Eo maxime," inquam, "te dicere hoc oportet, quando, ut praedicas, peritus iuris es. Namque Ennius verbum hoc ex duodecim tabulis vestris accepit, in quibus, si recte commemini, ita scriptum est: Adsiduo vindex adsiduus esto. Proletario iam civi, quis volet vindex esto. Petimus igitur, ne Annalem nunc Q. Ennii, sed duodecim tabulas legi arbitrere, et quid sit in ea lege 'proletarius civis' interpretere." "Ego vero," inquit ille, "dicere atque interpretari hoc deberem, si ius Faunorum et Aboriginum didicissem. Sed enim cum 'proletarii' et 'adsidui' et 'sanates' et 'vades' et 'subvades' et 'viginti

quinque asses' et 'taliones' furtorumque quaestio 'cum lance et licio' evanuerint, omnisque illa duodecim tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus centumviralium causarum, lege Aebutia lata consopita sit, studium scientiamque ego praestare debeo iuris et legum vocumque earum quibus utimur."

Tum forte quadam Iulium Paulum, poetam memoriae nostrae doctissimum, praetereuntem conspeximus. Is a nobis salutatur, rogatusque uti de sententia deque ratione istius vocabuli nos doceret: "Qui in plebe," inquit, "Romana tenuissimi pauperrimique erant neque amplius quam mille quingentum aeris in censum deferebant, 'proletarii' appellati sunt, qui vero nullo aut perquam parvo aere censebantur, 'capite censi' vocabantur, extremus autem census capite censorum aeris fuit trecentis septuaginta quinque. Sed quoniam res pecuniaque familiaris obsidis vicem pignerisque esse apud rem publicam videbatur, amorisque in patriam fides quaedam in ea firmamentumque erat, neque proletarii neque capite censi milites, nisi in tumultu maximo, scribebantur, quia familia pecuniaque his aut tenuis aut nulla esset. Proletariorum tamen ordo honestior aliquanto et re et nomine quam capite censorum fuit: nam et asperis rei publicae temporibus, cum iuventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur armaque iis sumptu publico praebebantur, et non capitis censione, sed prosperiore vocabulo a munere officioque prolis edendae appellati sunt, quod, cum re familiari parva minus possent rem publicam iuvare, subolis tamen gignendae copia civitatem frequentarent. Capite censos autem primus C. Marius, ut quidam ferunt, bello Cimbrico difficillimis rei publicae temporibus vel potius, ut Sallustius ait, bello Iugurthino milites scripsisse traditur, cum id factum ante

in nulla memoria exstaret. 'Adsiduus' in XII tabulis pro locuplete et facile facienti dictus aut ab aere dando, cum id tempora rei publicae postularent, aut a muneris pro familiari copia faciendi adsiduitate."

Verba autem Sallusti in historia Iugurthina de C. Mario consule et de capite censis haec sunt: Ipse interea milites scribere, non more maiorum nec ex classibus, sed ut libido cuiusque erat, capite censos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant, quod ab eo genere celebratus auctusque erat et homini potentiam quaerenti egentissimus quisque oportunissimus.

AUL. GELL. XVI, 10

ALIUD EST AD POPULUM LOQUI, ALIUD CUM POPULO AGERE

IDEM Messala in eodem libro de minoribus magistratibus ita scripsit: Consul ab omnibus magistratibus et comitiatum et contionem avocare potest. Praetor et comitiatum et contionem usquequaque avocare potest, nisi a consule. Minores magistratus nusquam nec comitiatum nec contionem avocare possunt. Ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is recte agit, quia bifariam cum populo agi non potest. Nec avocare alius alii potest, si contionem habere volunt, uti ne cum populo agant, quamvis multi magistratus simul contionem habere possunt. Ex his verbis Messalae manifestum est aliud esse "cum populo agere," aliud "contionem habere." Nam "cum populo agere" est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut iubeat aut vetet, "contionem" autem "habere" est verba facere ad populum sine ulla rogatione.

AUL. GELL. XIII, 16

THE COMITIA AND THE CONCILIUM

IN LIBRO Laelii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere, "calata" comitia esse quae pro conlegio pontificum habentur aut regis aut flaminum inaugurandorum causa. Eorum autem alia esse "curiata," alia "centuriata." "Curiata" per lictorem curiatum "calari," id est "convocari," "centuriata" per cornicem.

Isdem comitiis, quae "calata" appellari diximus, et sacrorum detestatio et testamenta fieri solebant. Tria enim genera testamentorum fuisse accepimus; unum quod calatis comitiis in populi contione fieret, alterum in procinctu, cum viri ad proelium faciendum in aciem vocabantur, tertium per familiae emancipationem, cui aes et libra adhiberetur.

In eodem Laelii Felicis libro haec scripta sunt: Is qui non universum populum, sed partem aliquam adesse iubet, non "comitia," sed "concilium" edicere debet. Tribuni autem neque advocant patricios, neque ad eos referre ulla de re possunt. Ita ne "leges" quidem proprie, sed "plebis scita" appellantur quae tribunis plebis ferentibus accepta sunt, quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator legem tulit, ut eo iure quod plebs statuisset omnes Quirites tenerentur. Item in eodem libro hoc scriptum est: Cum ex generibus hominum suffragium feratur, "curiata" comitia esse, cum ex censu et aetate, "centuriata," cum ex regionibus et locis, "tributa"; centuriata autem comitia intra pomerium fieri nefas esse, quia exercitum extra urbem imperari oporteat, intra urbem imperari ius non sit. Propterea centuriata in campo Martio haberi exercitumque imperari praesidii causa solitum, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.

AUL. GELL. XV, 27

FORMULAE USED IN CONVOKING THE CENTURIES

NUNC primum ponam de censoriis tabulis: "Ubi noctu in templum censor auspicaverit atque de caelo nuntium erit, praeconi sic imperato ut viros vocet: quod bonum fortunatum felix salutareque siet populo Romano Quiritibus reique publicae populi Romani Quiritium mihique collegaeque meo, fidei magistratuique nostro, omnes Quirites, pedites armatos privatosque, curatores omnium tribuum, si quis pro se sive pro altero rationem dari volet, voca inlicium huc ad me."

"Praeco in templo primum vocat, postea de moeris item vocat. Ubi lucet, censor scribae magistratus murra unguentisque unguentur. Ubi praetores tribunique plebei quique in consilium vocati sunt venerunt, censores inter se sortiuntur uter lustrum faciat. Ubi templum factum est, post tum conventionem habet qui lustrum conditurus est."

In commentariis consularibus scriptum sic inveni: "Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc; 'Calpurni, voca inlicium omnes Quirites huc ad me.' Accensus dicit sic: 'Omnes Quirites, inlicium visite huc ad iudices.' 'C. Calpurni,' cos. dicit, 'voca ad conventionem omnes Quirites huc ad me.' Accensus dicit sic: 'Omnes Quirites, ite ad conventionem huc ad iudices.' Dein consul eloquitur ad exercitum: 'Impero qua convenit ad comitia centuriata.'"

Quare hic accenso, illic praeconi dicit, haec est causa: in aliquot rebus item ut praeco accensus acciebat, a quo accensus quoque dictus. Accensum solitum ciere Boeotia ostendit, quam comoediam Aquilii esse dicunt, hoc versu:

Ubi primum accensus clamarat meridiem.

Hoc idem Cosconius in actionibus scribit praetorem accensum solitum esse iubere, ubi ei videbatur horam esse tertiam, inclamare horam tertiam esse, itemque meridiem et horam nonam.

Circum muros mitti solitus quo modo inliceret populum in eum locum unde vocare posset ad contionem, non solum ad consules et censores, sed etiam quaestores, commentarium indicat vetus anquisitionis M. Sergii, Mani filii, quaestoris, qui capitis accusavit Trogum; in quo sic est: "Auspicio †orande sed in templo auspiciis, dum aut ad praetorem aut ad consulem mittas auspicium petitum, †commeatum praetores vocet ad te, et eum de muris vocet praeco; id imperare oportet. Cornicinem ad privati ianuam et in arcem mittas, ubi canat. Collegam roges ut comitia edicat de rostris et argentarii tabernas occludant. Patres censeant exquaeras et adesse iubeas; magistratus censeant exquaeras, consules praetores tribunosque plebis collegasque tuos in templo adesse iubeas omnes; ac cum mittas, contionem advoces."

In eodem commentario anquisitionis ad extremum scriptum caput edicti hoc est: "Item quod attingat qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemptum habent, uti curent eo die quo die comitia erunt in arce classicus canat circumque muros et ante privati huiusce T. Quinti Trogi scelerosi ostium canat, et ut in campo cum primo luci adsiet."

Inter id cum circum muros mittitur et cum contio advocatur interesse tempus, apparet ex his quae interea fieri †illicitum scriptum est; sed ad comitiatum vocatur populus, ideo quod alia de causa hic magistratus non potest exercitum urbanum convocare; censor, consul, dictator, interrex potest, quod censor exercitum centuriato constituit

quinquennalem, cum lustrare et in urbem ad vexillum ducere debet; dictator et consul in singulos annos, quod hic exercitui imperare potest quo eat, id quod propter centuriata comitia imperare solent. Quare non est dubium quin hoc inlicium sit, cum circum muros itur, ut populus inliciatur ad magistratus conspectum, qui viros vocare potest, in eum locum unde vox ad contionem vocantis exaudiri possit. Quare una origine illici et inlicis quod in choro Proserpinae est, et pellexit quod in Hermiona est, cum ait Pacuvius:

regni alieni cupiditas pellexit.

Sic Elicii Iovis ara in Aventino ab eliciendo. Hoc nunc aliter fit atque olim, quod augur consuli adest tum cum exercitus imperatur ac praeit quid eum dicere oporteat. Consul auguri imperare solet ut inlicium vocet, non accenso aut praeconi. Id inceptum credo, cum non adesset accensus, et nihil intererat cui imperaret; et dicis causa fiebant quaedam neque item facta neque item dicta semper.

VARRO *de lingua Lat.* VI, 86–95

THE BALLOT

PROXIMUM autem est de suffragiis, quae iubeo nota esse optimatibus, populo libera. *Att.* Ita me hercule attendi, nec satis intellexi quid sibi lex aut quid verba ista vellent. *M.* Dicam, Tite, et versabor in re difficili ac multum et saepe quaesita, suffragia [in magistratu mandando ac de reo iudicando atque in legum rogatione] clam an palam ferri melius esset. *Q.* An etiam id dubium est? Vereor ne a te rursus dissentiam. *M.* Non facies, Quinte. Nam ego in ista sum sententia qua te

fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius, sed obtinerine iam possit videndum est. *Q.* Atqui, frater, bona tua venia dixerim, ista sententia maxime et fallit inperitos et obest saepissime rei publicae, cum aliquid verum et rectum esse dicitur, sed obtineri, id est, obsisti posse populo negatur. Primum enim obsistitur, cum agitur severe; deinde vi opprimi in bona causa est melius quam malae cedere. Quis autem non sentit omnem auctoritatem optimatium tabellariam legem abstulisse? quam populus liber numquam desideravit, idem oppressus dominatu ac potentia principum flagitavit. Itaque graviora iudicia de potentissimis hominibus exstant vocis quam tabellae. Quam ob rem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo in qua, bonis ignorantibus quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium. Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus nec auctor umquam bonus. Sunt enim quattuor leges tabellariae, quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia (139 B.C.), lata ab homine ignoto et sordido. Secuta biennio post (137 B.C.) Cassia est de populi iudiciis, a nobili homine lata, L. Cassio, sed — pace familiae dixerim — dissidente a bonis atque omnis rumusculos popularis aurae aucupante. Carbonis est tertia (131 B.C.) de iubendis legibus ac vetandis, seditiosi atque inprobi civis, cui ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit adferre. Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis: dedit huic quoque iudicio C. Caelius (107 B.C.) tabellam doluitque, quoad vixit, se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse rei publicae. Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem,

aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam: excitabat enim fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius eius in Aegaeo excitavit mari. Ac nostro quidem avo, cum res esset ad senatum delata, M. Scaurus consul "Utinam," inquit "M. Cicero, isto animo atque virtute in summa re publica nobiscum versari quam in municipali maluisses!" Quam ob rem, quoniam non recognoscimus nunc leges populi Romani, sed aut repetimus ereptas aut novas scribimus, non quid hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit tibi dicendum puto. Nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. Tu, si tabellariam tuleris, ipse praestabis; nec enim mihi placet nec Attico nostro, quantum e voltu eius intellego. *Att.* Mihi vero nihil umquam populare placuit, eamque optimam rem publicam esse dico quam hic consul constituerat, quae sit in potestate optimorum. *M.* Vos quidem, ut video, legem antiquastis sine tabella. Sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen ita libertatem istam largior populo, ut auctoritate et valeant et utantur boni; sic enim a me recitata lex est de suffragiis: "optimatibus nota, plebi libera sunto." Quae lex hanc sententiam continet, ut omnis leges tollat quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet; pontis etiam lex Maria fecit angustos. Quae si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo; sin valuerint tantum leges ut desinat ambitus, habeat sane populus tabellam quasi vindicem libertatis, dum modo haec optimo cuique et gravissimo civi ostendatur ultroque offeratur, ut in eo sit ipso libertas, in quo populo potestas honeste bonis gratificandi datur. Eoque nunc fit illud quod a te modo, Quinte, dictum est, ut minus multos tabella condemnet quam solebat

vox, quia populo licere satis est: hoc retento reliqua voluntas auctoritati aut gratiae traditur. Itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non vides, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragiis quid optimi viri sentiant? Quam ob rem lege nostra libertatis species datur, auctoritas bonorum retinetur, contentionis causa tollitur.

Cic. *de Legg.* III, 33–39

COMITIA CENTURIATA OF SERVIUS TULLIUS

EX IIS qui centum milium aeris aut maiorem censum haberent octoginta confecit centurias, quadragenas seniorum ac iuniorum: primae classis omnes appellati, seniores ad urbis custodiam ut praesto essent, iuvenes ut foris bella gererent. Arma his imperata galea, clipeum, ocreae, lorica, omnia ex aere, haec ut tegumenta corporis essent, tela in hostem hastaque et gladius. Additae huic classi duae fabrum centuriae, quae sine armis stipendia facerent; datum munus ut machinas in bello ferrent. Secunda classis intra centum usque ad quinque et septuaginta milium censum instituta et ex iis, senioribus iunioribusque, viginti conscriptae centuriae. Arma imperata scutum pro clipeo et praeter loricam omnia eadem. Tertiae classis in quinquaginta milium censum esse voluit. Totidem centuriae et hae, eodemque discrimine aetatium factae; nec de armis quicquam mutatum, ocreae tantum ademptae. In quarta classe census quinque et viginti milium; totidem centuriae factae; arma mutata, nihil praeter hastam et verutum datum. Quinta classis aucta, centuriae triginta factae. Fundas lapidesque missiles hi secum gerebant; in his accensi, cornicines tubicinesque, in tres centurias distributi. Undecim milibus haec classis censebatur.

Hoc minor census reliquam multitudinem habuit: inde una centuria facta est immunis militia.

Ita pedestri exercitu ornato distributoque equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias centurias, tribus ab Romulo institutis, sub isdem quibus inauguratae erant nominibus fecit. Ad equos emendos dena milia aeris ex publico data, et quibus equos alerent, viduae attributae, quae bina milia aeris in annos singulos penderent. Haec omnia in dites a pauperibus inclinata onera.

Deinde est honos additus: non enim, ut ab Romulo traditum ceteri servaverant reges, viritim suffragium eadem vi eodemque iure promisce omnibus datum est, sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur et vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocabantur primi, octoginta inde primae classis centuriae primum peditum vocabantur; ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundae classis vocarentur, nec fere umquam infra ita descenderent ut ad infimos pervenirent. Nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc est post expletas quinque et triginta tribus duplicato earum numero centuriis iuniorum seniorumque, ad institutam ab Servio Tullio summam non convenire. Quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque quae habitabantur, partes eas tribus appellavit, ut ego arbitror a tributo — nam eius quoque aequaliter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est — neque eae tribus ad centuriarum distributionem numerumque quicquam pertinuere.

Livy I, 43

CICERO'S ACCOUNT OF THE COMITIA CENTURIATA

(Reading of the First Hand)

NUNC rationem videtis esse talem, ut equitum certamine cum et suffragiis et prima classis addita centuria quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, .VIIII. centurias — tot enim reliquae sunt — octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa: reliquaque multo maior multitudo sex et nonaginta centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum.

Cic. *de Rep.* II, 39

(Reading of the Second Hand)

Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriae cum sex suffragiis et prima classis, addita centuria quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVIIII centurias habeat; quibus ex centum quattuor centuriis, tot enim reliquae sunt, octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa: reliquaque multo maior multitudo sex et nonaginta centuriarum neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum.

VOTE OF THE COMITIA CENTURIATA (44 B.C.)

Ecce Dolabellae comitiorum dies; sortitio praerogativae; quiescit. Renuntiatur; tacet. Prima classis vocatur, renuntiatur; deinde ut assolet, suffragia; tum secunda classis vocatur: quae omnia sunt citius facta quam dixi. Confecto negotio bonus augur — C. Laelium diceres — "alio die" inquit.

Cic. *Phil.* II, 82

PROCEDURE IN CONNECTION WITH THE LAW FOR CICERO'S RECALL (COMITIA CENTURIATA)

ME KALENDIS Ianuariis, qui dies post obitum occasumque vestrum rei publicae primus inluxit, frequentissimus senatus, concursu Italiae, referente clarissimo ac fortissimo viro, P. Lentulo, consentiente atque una voce revocavit; me idem senatus exteris nationibus, me legatis magistratibusque nostris auctoritate sua, consularibus litteris, non, ut tu Insuber dicere ausus es, orbatum patria, sed, ut senatus illo ipso tempore appellavit, civem servatoremque rei publicae commendavit; ad meam unius hominis salutem senatus auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui rem publicam salvam esse vellent, consulis voce et litteris implorandum putavit; mei capitis conservandi causa Romam uno tempore quasi signo dato Italia tota convenit; de mea salute P. Lentuli, praestantissimi viri atque optimi consulis, Cn. Pompeii, clarissimi atque invictissimi civis, ceterorumque principum civitatis celeberrimae et gratissimae contiones fuerunt; de me senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore et eius sententiae principe, ut, si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur, eisque verbis ea de me senatus auctoritas declarata est ut nemini sit triumphus honorificentius quam mihi salus restitutioque perscripta; de me cum omnes magistratus promulgassent praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, praeterque duos de lapide emptos tribunos, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus consul de conlegae Q. Metelli sententia, quem mecum eadem res publica quae in tribunatu eius diiunxerat, in consulatu virtute optimi atque iustissimi viri sapientiaque coniunxit. Quae lex quem ad modum accepta

sit quid me attinet dicere? Ex vobis audio nemini civi ullam quo minus adesset satis iustam excusationem esse visam; nullis comitiis umquam neque multitudinem hominum tantam neque splendorem fuisse; hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabellarum, et, quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis vel aetatis excusatione vel honoris, id in salute mea nullo rogante vos vestra sponte fecistis.

CIC. *in Pisonem*, 34–36

ELECTION OF AEDILES IN THE COMITIA TRIBUTA

SED cur sic ago? quasi non comitiis iam superioribus sit Plancius designatus aedilis: quae comitia primum habere coepit consul cum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor; deinde habere coepit subito praeter opinionem omnium, ut ne si cogitasset quidem largiri quispiam daretur spatium comparandi. Vocatae tribus, latum suffragium, diribitae tabellae, renuntiatae: longe plurimum valuit Plancius: nulla largitionis nec fuit nec esse potuit suspicio. Ain tandem? una centuria praerogativa tantum habet auctoritatis ut nemo umquam prior eam tulerit quin renuntiatus sit aut eis ipsis comitiis consul aut certe in illum annum: aedilem tu Plancium factum esse miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit? Cuius in honore non unius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint praerogativa? Quo quidem tempore, Laterensis, si id facere voluisses, aut si gravitatis esse putasses tuae quod multi nobiles saepe fecerunt, ut, cum minus valuissent suffragiis quam putassent, postea prolatis comitiis prosternerent se et populo Romano fracto

animo atque humili supplicarent, non dubito quin omnis ad te conversura fuerit multitudo. Numquam enim fere nobilitas, integra praesertim atque innocens, a populo Romano supplex repudiata est. Sed si tibi gravitas tua et magnitudo animi pluris fuit, sicuti esse debuit, quam aedilitas, noli, cum habeas id quod malueris, desiderare id quod minoris putaris. Equidem primum ut honore dignus essem maxime semper laboravi; secundo ut existimarer; tertium mihi fuit illud quod plerisque primum est, ipse honos, qui eis denique debet esse iucundus quorum dignitati populus Romanus testimonium, non beneficium ambitioni dedit.

CIC. *pro Plancio*, 49–50

ANOTHER ELECTION OF AEDILES

COMITIIS aediliciis, cum sole caldo ego et Q. Axius senator tribulis suffragium tulissemus, et candidato cui studebamus vellemus esse praesto, cum domum rediret, Axius mihi, dum diribentur, inquit, suffragia, vis potius villae publicae utamur umbra, quam privati candidati tabella dimidiata aedificemus nobis? Opinor, inquam, non solum quod dicitur, malum consilium consultori est pessimum, sed etiam bonum consilium qui consulit, et qui consulitur bonum habendum. Itaque imus, venimus in villam. Ibi Appium Claudium augurem sedentem invenimus in subselliis, ut consuli, si quid usus poposcisset, esset praesto. Sedebat ad sinistram ei Cornelius Merula consulari familia ortus et Fircellius Pavo Reatinus, ad dextram Minucius Pica et M. Petronius Passer. . . . Cum haec loqueremur, clamor fit in campo. Nos athletae comitiorum cum id fieri non miraremur propter studia suffragatorum, et tamen scire vellemus quid esset, venit ad nos Pantuleius

Parra, narrat ad tabulam, cum diriberent, quendam deprensum tesserulas coicientem in loculum, eum ad consulem tractum a fautoribus conpetitorum. Pavo surgit, quod eius candidati custos dicebatur deprensus. . . . Interea venit apparitor Appi a consule et augures ait citari. Ille foras exit e villa. . . . Interea redit Appius, et percontati nos ab illo et ille a nobis quid esset dictum ac factum. . . . Interea redit ad nos Pavo et, si vultis, inquit, ancoras tollere, latis tabulis sortitio fit tribuum, ac coepti sunt a praecone renuntiari quem quaeque tribus fecerint aedilem. Appius confestim surgit, ut ibidem candidato suo gratularetur ac discederet in hortos. . . . Nos haec. At strepitus ab dextra et cum lata candidatus noster designatus aedilis in villam. Cui nos occedimus et gratulati in Capitolium prosequimur. Ille inde endo suam domum, nos nostram.

VARRO *R.R.* III, 2; 5, 18; 7; 12; 17, 1; 17, 10

LEX QUINCTIA DE AQUAEDUCTIBUS (COMITIA TRIBUTA 9 B.C.)

T. QUINCTIUS Crispinus consul *de senatus sententia* populum iure rogavit populusque iure scivit, in foro pro rostris aedis divi Iulii, pr⟨idie⟩ K. Iulias. Tribus Sergia principium fuit, pro tribu Sex⟨tus⟩, L⟨ucii⟩ f⟨ilius⟩, Varro *primus scivit.*

Quicunque post hanc legem rogatam rivos, specus, fornices, fistulas, tubulos, castella, lacus aquarum publicarum quae ad urbem *Romam* ducuntur, *ducentur*, sciens dolo malo foraverit, ruperit, foranda rumpendave curaverit peiorave fecerit, quo minus eae aquae earumve quae *pars* in urbem Romam ire, cadere, fluere, pervenire, duci *possit*, quove minus in urbe Roma et in iis locis, *aedificiis*, quae *loca*,

aedificia urbi continentia sunt, erunt, in his hortis, praediis, locis, quorum hortorum, praediorum, locorum dominis possessoribusve aqua data vel adtributa est vel erit, saliat, distribuatur, dividatur, in castella, lacus immittatur: is populo Romano HS C milia dare damnas esto; et qui d⟨olo⟩ m⟨alo⟩ quid eorum ita fecerit, id omne sarcire, reficere, restituere, aedificare, ponere et celere demolire damnas esto sine dolo malo; eaque omnia ita ut *recte factum esse volet* quicumque curator aquarum est, erit, *aut* si curator aquarum nemo erit, tum is praetor qui inter cives et peregrinos ius dicet, multa, pignoribus cogito, coercito; eique curatori, aut si curator non erit, tum ei praetori eo nomine cogendi, coercendi, multae dicendae sive pignoris capiendi ius potestasque esto. Si quid eorum servus fecerit, dominus eius HS C milia populo *Romano* d⟨are⟩ d⟨amnas⟩ e⟨sto⟩. Si quis *locus* circa rivos, specus, fornices, fistulas, tubulos, castella, lacus aquarum publicarum quae ad urbem Romam ducuntur et ducentur, terminatus est et erit, ne quis in eo loco post hanc legem rogatam quid obponito, molito, obsaepito, figito, statuito, ponito, conlocato, arato, serito; neve in eum quid immittito, praeterquam eorum faciendorum, reponendorum causa quae hac lege licebit, oportebit. Qui adversus ea quid fecerit, adversus eum siremps lex ius causaque omnium rerum omnibusque esto, atque uti esset esseve oporteret, si is adversus hanc legem rivum, specum rupisset forassetve. Quo minus in eo loco pascere, herbam, fenum secare, sentes *tollere liceat, eius hac lege nihil rogatur*; curatores aquarum qui nunc sunt quique erunt *faciunto ut in eo loco, qui locus* circa fontes et fornices et muros et rivos et specus terminatus est, arbores, vites, vepres, sentes, ripae maceria, salicta, harundineta tollantur, excidantur, effodiantur, excodicentur uti quod recte factum

esse volent; eoque nomine iis pignoris capio, multae dictio coercitioque esto, idque iis sine fraude sua facere liceat ius potestasque esto. Quo minus vites, arbores quae villis, aedificiis maceriisve inclusae sunt, maceriae quas curatores aquarum causa cognita ne demolirentur dominis permiserunt, quibus inscripta insculptaque essent ipsorum qui permisissent curatorum nomina, maneant, hac lege nihilum rogator. Quo minus ex iis fontibus, rivis, specibus, fornicibus aquam sumere, haurire iis quibuscumque curatores aquarum permiserunt, permiserint, praeterquam rota, calice, machina liceat, dum ne qui puteus neque foramen novum fiat, eius hac lege nihilum rogator.

FRONTINUS *de Aquàeductibus*, 129 (Buecheler)

TRIAL OF C. CORNELIUS FOR "MAIESTAS," ILLUSTRATING VARIOUS POWERS OF PEOPLE, SENATE, AND MAGISTRATES

C. CORNELIUS homo non improbus vita habitus est. Fuerat quaestor Cn. Pompeii, dein tribunus plebis C. Pisone M'. Glabrione coss. biennio ante quam haec dicta sunt. In eo magistratu ita se gessit ut iusto pertinacior videretur. Alienatus est autem a senatu ex hac causa. Rettulerat ad senatum ut, quoniam exterarum nationum legatis pecunia magna daretur usura, turpiaque et famosa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret. Cuius relationem repudiavit senatus, et decrevit satis cautum videri eo S. C. quod ante annos septem et XX L. Domitio C. Coelio coss. factum erat, cum senatus ante pauculos annos ex eodem illo S. C. decrevisset ne quis Cretensibus pecuniam mutuam

daret. Cornelius ea repulsa offensus senatui questus est de ea re in contione: exhauriri provincias usuris; provideri ut haberent legati unde praesentia munera darent; promulgavitque legem qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis nisi per populum legibus solveretur. Quod antiquo quoque iure erat cautum; itaque in omnibus S. C. quibus aliquem legibus solvi placebat adici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paulatim ferri erat desitum, resque iam in eam consuetudinem venerat ut postremo ne adiceretur quidem in senatus consultis de rogatione ad populum ferenda; eaque ipsa S. C. per pauculos admodum fiebant. Indigne eam Corneli rogationem tulerant potentissimi quique ex senatu, quorum gratia magnopere minuebatur; itaque P. Servilius Globulus tribunus plebis inventus erat qui C. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferundae dies venit et praeco subiciente scriba verba legis recitare populo coepit, et scribam subicere et praeconem pronuntiare passus non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit. Quod cum improbe fieri C. Piso consul vehementer quereretur, tollique tribuniciam intercessionem diceret, gravi convicio a populo exceptus est; et, cum ille eos qui sibi intentabant manus prendi a lictore iussisset, fracti eius fasces sunt, lapidesque etiam ex ultima contione in consulem iacti: quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimisit. . . . Actum deinde eadem de re in senatu est magnis contentionibus. Tum Cornelius ita ferre rursus coepit, ne quis in senatu legibus solveretur nisi CC non minus adfuissent, neve quis, cum quis ita solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. Haec sine tumultu res acta est. Nemo enim negare poterat pro senatus auctoritate esse eam legem; sed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui vel per paucos talia S. C. gratificari solebant. Aliam deinde legem

Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen invitis tulit, ut praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent: quae res †eumaut† gratiam ambitiosis praetoribus, qui varie ius dicere assueverant, sustulit. Alias quoque complures leges Cornelius promulgavit, quibus plerisque collegae intercesserunt: per quas contentiones totius tribunatus eius tempus peractum est.

Sequenti deinde anno M'. Lepido L. Volcacio coss., quo anno praetor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt. Detulit nomen Publius, subscripsit Gaius. Et cum P. Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset, eoque die ipse non adfuisset seu avocatus propter publici frumenti curam seu gratificans reo, circumventi sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur, si mox non desisterent. Quam perniciem vix effugerunt interventu consulum, qui advocati reo descenderant. Et cum in scalas quasdam Cominii fugissent, clausi in noctem ibi se occultaverunt, deinde per tecta vicinorum (aedium) profugerunt ex urbe. Postero die, cum P. Cassius adsedisset et citati accusatores non adessent, exemptum nomen est de reis Corneli; Cominii autem magna infamia flagraverunt vendidisse silentium magna pecunia.

Sequente deinde anno L. Cotta L. Torquato coss., quo haec oratio a Cicerone praetura nuper peracta (praetore) dicta est, cum prima pars . . . Manilius, qui iudicium per operarum duces turbaverat, deinde, quod ex S. C. ambo consules praesidebant ei iudicio, non respondisset absensque esset damnatus, recreavit se Cominius, ut infamiam acceptae pecuniae tolleret, ac repetiit Cornelium lege maiestatis. Res acta est magna expectatione. Paucos autem homines Cornelius perterritus Manili exitu recenti in

iudicium adhibuit, ut ne clamor quidem ullus ab advocatis eius oriretur.

Dixerunt in eum infesti testimonia principes civitatis qui plurimum in senatu poterant, Q. Hortensius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, M. Lucullus, M'. Lepidus. Dixerunt autem hoc: vidisse se cum Cornelius in tribunatu codicem pro rostris ipse recitaret, quod ante Cornelium nemo fecisse existimaretur. Volebant videri se iudicare eam rem magnopere ad crimen imminutae maiestatis tribuniciae pertinere; etenim prope tollebatur intercessio, si id tribunis permitteretur. Non poterat negare id factum esse (Cicero, sed) eo confugit, ut diceret: non ideo quod lectus sit codex a tribuno, imminutam esse tribuniciam potestatem. Qua vero arte et scientia orationis, ita ut et dignitatem clarissimorum civium contra quos dicebat non violaret, et tamen auctoritate eorum laedi reum non pateretur, quantaque moderatione rem tam difficilem aliis tractaverit, lectio ipsa declarabit. Adiumentum autem habuit quod, sicut diximus, Cornelius, praeter destrictum propositum animi adversus principum voluntatem, cetera vita nihil fecerat quod magnopere inprobabatur; praeterea quod et ipse Globulus qui intercesserat aderat Cornelio, et (quod ipsum quoque diximus) quod Cornelius Pompeii Magni quaestor fuerat, apud duas partes reo proderat equitum Romanorum et tribunorum aerariorum, et ex tertia quoque parte senatorum apud plerosque, exceptis eis qui erant familiares principum civitatis. Res acta est magno conventu, magnaque expectatio fuit quis eventus iudicii futurus esset. Namque et a summis viris dici testimonia in Cornelium, et id quod ei dicerent confiteri reum animadvertebant. Extat oratio Comini accusatoris quam sumere in manus est aliquod operae pretium, non solum propter Ciceronis orationes quas pro Cornelio

habemus, sed etiam propter semet ipsam. Cicero, (ut) ipse significat, quatriduo Cornelium defendit; quas actiones contulisse eum in duas orationes apparet. Iudicium id exercuit Q. Gallius praetor.

. . . .

Magno numero sententiarum Cornelius absolutus est.

ASCONIUS, *In Cornelianam*

VARRO'S COMMENTARIUS ISAGOGICUS (71 B.C.)

GNAEO Pompeio consulatus primus cum M. Crasso designatus est. Eum magistratum Pompeius cum initurus foret, quoniam per militiae tempora senatus habendi consulendique rerum expers urbanarum fuit, M. Varronem, familiarem suum, rogavit uti commentarium faceret "isagogicum," sic enim Varro ipse appellat, ex quo disceret quid facere dicereque deberet, cum senatum consuleret. Eum librum commentarium quem super ea re Pompeio fecerat, perisse Varro ait in litteris quas ad Oppianum dedit, quae sunt in libro epistulicarum quaestionum quarto, in quibus litteris, quoniam quae ante scripserat non comparebant, docet rursum multa ad eam rem ducentia.

Primum ibi ponit, qui fuerint per quos more maiorum senatus haberi soleret, eosque nominat: "dictatorem, consules, praetores, tribunos plebi, interregem, praefectum urbi," neque alii, praeter hos, ius fuisse dixit facere senatus consultum, quotiensque usus venisset ut omnes isti magistratus eodem tempore Romae essent, tum quo supra ordine scripti essent, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum senatus consulendi ius fuisse ait, deinde extraordinario iure tribunos quoque militares qui pro consulibus

fuissent, item decemviros, quibus imperium consulare tum esset, item triumviros rei publicae constituendae causa creatos ius consulendi senatum habuisse.

Postea scripsit de intercessionibus dixitque intercedendi ne senatus consultum fieret ius fuisse iis solis, qui eadem potestate qua ii qui senatus consultum facere vellent, maioreve essent.

Tum adscripsit de locis in quibus senatus consultum fieri iure posset, docuitque confirmavitque, nisi in loco per augurem constituto quod "templum" appellaretur senatus consultum factum esset, iustum id non fuisse. Propterea et in curia Hostilia et in Pompeia et post in Iulia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta, ut in iis senatus consulta more maiorum iusta fieri possent. Inter quae id quoque scriptum reliquit, non omnes aedes sacras templa esse ac ne aedem quidem Vestae templum esse.

Post haec deinceps dicit, senatus consultum ante exortum aut post occasum solem factum ratum non fuisse, opus etiam censorium fecisse existimatos per quos eo tempore senatus consultum factum esset.

Docet deinde inibi multa, quibus diebus habere senatum ius non sit, immolareque hostiam prius auspicarique debere qui senatum habiturus esset, de rebusque divinis priusquam humanis ad senatum referendum esse, tum porro referri oportere aut infinite de re publica, aut de singulis rebus finite; senatusque consultum fieri duobus modis: aut per discessionem, si consentiretur, aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas; singulos autem debere consuli gradatim incipique a consulari gradu. Ex quo gradu semper quidem antea primum rogari solitum qui princeps in senatum lectus esset; tum autem, cum haec

scriberet, novum morem institutum refert per ambitionem gratiamque, ut is primus rogaretur, quem rogare vellet qui haberet senatum, dum is tamen ex gradu consulari esset. Praeter haec de pignore quoque capiendo disserit deque multa dicenda senatori qui, cum in senatum venire deberet, non adesset. Haec et alia quaedam id genus in libro quo supra dixi, M. Varro epistula ad Oppianum scripta exsecutus est.

Sed quod ait, senatus consultum duobus modis fieri solere, aut conquisitis sententiis aut per discessionem, parum convenire videtur cum eo quod Ateius Capito in coniectaneis scriptum reliquit. Nam in libro VIIII, Tuberonem dicere ait, nullum senatus consultum fieri posse non discessione facta, quia in omnibus senatus consultis, etiam in iis quae per relationem fierent, discessio esset necessaria, idque ipse Capito verum esse adfirmat. Sed de hac omni re alio in loco plenius accuratiusque nos memini scribere.

Aul. Gell. XIIII, 7

Praefectum urbi Latinarum causa relictum senatum habere posse Iunius negat, quoniam ne senator quidem sit neque ius habeat sententiae dicendae, cum ex ea aetate praefectus fiat quae non sit senatoria. M. autem Varro in quarto epistulicarum quaestionum et Ateius Capito in coniectaneorum VIIII, ius esse praefecto senatus habendi dicunt; deque ea re adsensum esse Capito Varronem Tuberoni contra sententiam Iunii refert: Nam et tribunis, inquit, plebis senatus habendi ius erat, quamquam senatores non essent ante Atinium plebi scitum.

Aul. Gell. XIIII, 8

PEDARII SENATORES

NON pauci sunt, qui opinantur "pedarios senatores" appellatos, qui sententiam in senatu non verbis dicerent, sed in alienam sententiam pedibus irent. Quid igitur? cum senatus consultum per discessionem fiebat, nonne universi senatores sententiam pedibus ferebant? Atque haec etiam vocabuli istius ratio dicitur quam Gavius Bassus in commentariis suis scriptam reliquit. Senatores enim dicit in veterum aetate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset, super quam considerent, quae ob eam causam "curulis" appellaretur; sed eos senatores qui magistratum curulem nondum ceperant pedibus itavisse in curiam: propterea senatores nondum maioribus honoribus "pedarios" nominatos. M. autem Varro, in satira Menippea quae Ἱπποκύων inscripta est, equites quosdam dicit "pedarios" appellatos, videturque eos significare, qui, nondum a censoribus in senatum lecti, senatores quidem non erant, sed quia honoribus populi usi erant, in senatum veniebant et sententiae ius habebant. Nam et curulibus magistratibus functi, si nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant et, quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed, quas principes dixerant, in eas discedebant. Hoc significabat edictum quo nunc quoque consules (. . .) que, cum senatores in curiam vocant, servandae consuetudinis causa tralaticio utuntur. Verba edicti haec sunt: Senatores quibusque in senatu sententiam dicere licet.

Hoc vocabulum a plerisque barbare dici animadvertimus. Nam pro "pedariis" "pedaneos" appellant.

AUL. GELL. III, 18

ORDO SENTENTIARUM ROGANDARUM

ANTE legem quae nunc de senatu habendo observatur, ordo rogandi sententias varius fuit. Alias primus rogabatur qui princeps a censoribus in senatum lectus fuerat, alias qui designati consules erant; quidam e consulibus, studio aut necessitudine aliqua adducti, quem is visum erat honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant. Observatum tamen est, cum extra ordinem fieret, ne quis quemquam ex alio quam ex consulari loco sententiam primum rogaret. C. Caesar, in consulatu quem cum M. Bibulo gessit, quattuor solos extra ordinem rogasse sententiam dicitur. Ex his quattuor principem rogabat M. Crassum, sed, postquam filiam Cn. Pompeio desponderat, primum coeperat Pompeium rogare.

Eius rei rationem reddidisse eum senatui Tiro Tullius, M. Ciceronis libertus, refert, itaque se ex patrono suo audisse scribit. Id ipsum Capito Ateius, in libro quem de officio senatorio composuit, scriptum reliquit.

In eodem libro Capitonis id quoque scriptum est: C., inquit, Caesar consul M. Catonem sententiam rogavit. Cato rem quae consulebatur, quoniam non e re publica videbatur, perfici nolebat. Eius rei ducendae gratia longa oratione utebatur eximebatque dicendo diem. Erat enim ius senatori, ut sententiam rogatus diceret ante quicquid vellet aliae rei et quoad vellet. Caesar consul viatorem vocavit eumque, cum finem non faceret, prendi loquentem et in carcerem duci iussit. Senatus consurrexit et prosequebatur Catonem in carcerem. Hac, inquit, invidia facta, Caesar destitit et mitti Catonem iussit.

Aul. Gell. IV, 10

A QUESTION AS TO SENATORIAL PROCEDURE

C. PLINIUS ARISTONI SUO S.

CUM sis peritissimus et privati iuris et publici, cuius pars senatorium est, cupio ex te potissimum audire, erraverim in senatu proxime necne, non ut in praeteritum (serum enim), verum ut in futurum, si quid simile inciderit, erudiar. Dices: "Cur quaeris quod nosse debebas?" Priorum temporum servitus ut aliarum optimarum artium sic etiam iuris senatorii oblivionem quandam et ignorantiam induxit. Quotus enim quisque tam patiens, ut velit discere quod in usu non sit habiturus? Adde, quod difficile est tenere quae acceperis, nisi exerceas. Itaque reducta libertas rudes nos et imperitos deprehendit; cuius dulcedine accensi cogimur quaedam facere ante quam nosse. Erat autem antiquitus institutum, ut a maioribus natu non auribus modo, verum etiam oculis disceremus, quae facienda mox ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adulescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere, dum sequuntur, adsuescerent; inde honores petituri adsistebant curiae foribus et consilii publici spectatores ante quam consortes erant. Suus cuique parens pro magistro aut, cui parens non erat, maximus quisque et vetustissimus pro parente. Quae potestas referentibus, quod censentibus ius, quae vis magistratibus, quae ceteris libertas, ubi cedendum, ubi resistendum, quod silendi tempus, quis dicendi modus, quae distinctio pugnantium sententiarum, quae executio prioribus aliquid addentium, omnem denique senatorium morem, quod fidissimum praecipiendi genus, exemplis docebantur. At nos iuvenes fuimus quidem in castris, sed

cum suspecta virtus, inertia in pretio, cum ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam imperium, nusquam obsequium, omnia soluta, turbata atque etiam in contrarium versa, postremo obliviscenda magis quam tenenda. Iidem prospeximus curiam, sed curiam trepidam et elinguem, cum dicere quod velles, periculosum, quod nolles, miserum esset. Quid tunc disci potuit, quid didicisse iuvit, cum senatus aut ad otium summum aut ad summum nefas vocaretur et modo ludibrio, modo dolori retentus numquam seria, tristia saepe censeret? Eadem mala iam senatores, iam participes malorum multos per annos vidimus tulimusque; quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt. Breve tempus (nam tanto brevius omne quanto felicius tempus), quo libet scire quid simus, libet exercere quod scimus. Quo iustius peto, primum ut errori, si quis est error, tribuas veniam, deinde medearis scientia tua, cui semper fuit curae sic iura publica ut privata, sic antiqua ut recentia, sic rara ut adsidua tractare. Atque ego arbitror illis etiam, quibus plurimarum rerum agitatio frequens nihil esse ignotum patiebatur, genus quaestionis quod adfero ad te, aut non satis tritum aut etiam inexpertum fuisse. Hoc et ego excusatior, si forte sum lapsus, et tu dignior laude, si potes id quoque docere, quod in obscuro est an didiceris.

Referebatur de libertis Afrani Dextri consulis incertum sua an suorum manu, scelere an obsequio perempti. Hos alius ("Quis?" inquis; ego, sed nihil refert) post quaestionem supplicio liberandos, alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur. Quarum sententiarum tanta diversitas erat, ut non possent esse nisi singulae. Quid enim commune habet occidere et relegare? Non hercule magis quam relegare et absolvere; quamquam propior

aliquanto est sententiae relegantis, quae absolvit quam quae occidit (utraque enim ex illis vitam relinquit, haec adimit), cum interim, et qui morte puniebant, et qui relegabant, una sedebant et temporaria simulatione concordiae discordiam differebant. Ego postulabam ut tribus sententiis constaret suus numerus, nec se brevibus indutiis duae iungerent. Exigebam ergo, ut qui capitali supplicio adficiendos putabant discederent a relegante, nec interim contra absolventes mox dissensuri congregarentur, quia parvulum referret an idem displiceret, quibus non idem placuisset. Illud etiam mihi permirum videbatur, eum quidem, qui libertos relegandos, servos supplicio adficiendos censuisset, coactum esse dividere sententiam, hunc autem, qui libertos morte multaret, cum relegante numerari. Nam si oportuisset dividi sententiam unius, quia res duas comprehendebat, non reperiebam quem ad modum posset iungi sententia duorum tam diversa censentium.

Atque adeo permitte mihi sic apud te tamquam ibi, sic peracta re tamquam adhuc integra rationem iudicii mei reddere, quaeque tunc carptim multis obstrepentibus dixi, nunc per otium iungere. Fingamus tres omnino iudices in hanc causam datos esse, horum uni placuisse perire libertos, alteri relegari, tertio absolvi; utrumne sententiae duae collatis viribus novissimam periment, an separatim una quaeque tantundem quantum altera valebit, nec magis poterit cum secunda prima conecti quam secunda cum tertia? Igitur in senatu quoque numerari tamquam contrariae debent, quae tamquam diversae dicuntur. Quodsi unus atque idem et perdendos censeret et relegandos, num ex sententia unius et perire possent et relegari? num denique omnino una sententia putaretur, quae tam diversa coniungeret? Quem ad modum igitur, cum alter perdendos, alter

censeat relegandos, videri potest una sententia, quia dicitur a duobus, quae non videretur una, si ab uno diceretur? Quid? lex non aperte docet dirimi debere sententias occidentis et relegantis, cum ita discessionem fieri iubet: "Qui haec sentitis, in hanc partem, qui alia omnia, in illam partem ite qua sentitis"? Examina singula verba et expende: "qui haec sentitis," hoc est qui relegandos putatis, "in hanc partem," id est in eam in qua sedet qui censuit relegandos. Ex quo manifestum est non posse in eadem parte remanere eos qui interficiendos arbitrantur. "Qui alia omnia": animadvertis, ut non contenta lex dicere "alia" addiderit "omnia." Num ergo dubium est alia omnia sentire eos qui occidunt quam qui relegant? "In illam partem ite qua sentitis:" nonne videtur ipsa lex eos qui dissentiunt in contrariam partem vocare, cogere, impellere? Non consul etiam ubi quisque remanere, quo transgredi debeat, non tantum sollemnibus verbis, sed manu gestuque demonstrat? At enim futurum est ut, si dividantur sententiae interficientis et relegantis, praevaleat illa quae absolvit. Quid istud ad censentes? quos certe non decet omnibus artibus, omni ratione pugnare, ne fiat quod est mitius. Oportet tamen eos qui morte puniunt, et qui relegant, absolventibus primum, mox inter se comparari. Scilicet, ut in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit ac servat, qui cum victore contendat, sic in senatu sunt aliqua prima, sunt secunda certamina, et ex duabus sententiis eam quae superior extiterit tertia expectat. Quid, quod prima sententia comprobata ceterae perimuntur? Qua ergo ratione potest esse nunc unus atque idem locus sententiarum, quarum nullus est postea? Planius repetam. Nisi dicente sententiam eo qui relegat, illi qui puniunt capite initio statim in alia discedant, frustra postea dissentient ab eo

cui paulo ante consenserint. Sed quid ego similis docenti, cum discere velim, an sententias dividi an iri in singulas oportuerit? Obtinui quidem quod postulabam; nihilo minus tamen quaero, an postulare debuerim. Quem ad modum obtinui? Is qui ultimum supplicium sumendum esse censebat, nescio an iure, certe aequitate postulationis meae victus omissa sententia sua accessit releganti, veritus scilicet, ne, si dividerentur sententiae, quod alioqui fore videbatur, ea quae absolvendos esse censebat numero praevaleret. Etenim longe plures in hac una quam in duabus singulis erant. Tum illi quoque qui auctoritate eius trahebantur, transeunte illo destituti reliquerunt sententiam ab ipso auctore desertam secutique sunt quasi transfugam, quem ducem sequebantur. Sic ex tribus sententiis duae factae, tenuitque ex duabus altera, tertia expulsa, quae, cum ambas superare non posset, elegit ab utra vinceretur. Vale.

PLIN. *Ep.* VIII, 14

MEETING OF THE SENATE (JAN. 13, 56 B.C.)

M. CICERO S. D. P. LENTULO PROCOS.

IDIBUS Ianuariis in senatu nihil est confectum, propterea quod dies magna ex parte consumptus est altercatione Lentuli consulis et Canini tr. pl. Eo die nos quoque multa verba fecimus maximeque visi sumus senatum commemoratione tuae voluntatis erga illum ordinem permovere. Itaque postridie placuit ut breviter sententias diceremus; videbatur enim reconciliata nobis voluntas esse senatus, quod cum dicendo tum singulis appellandis rogandisque perspexeram. Itaque, cum sententia prima Bibuli pronuntiata esset, ut tres legati regem reducerent, secunda

Hortensi, ut tu sine exercitu reduceres, tertia Volcaci, ut Pompeius reduceret, postulatum est, ut Bibuli sententia divideretur. Quatenus de religione dicebat, cui quidem rei iam obsisti non poterat, Bibulo adsensum est; de tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortensi sententia, cum Lupus tr. pl., quod ipse de Pompeio retulisset, intendere coepit ante se oportere discessionem facere quam consules. Eius orationi vehementer ab omnibus reclamatum est, erat enim et iniqua et nova. Consules neque concedebant neque valde repugnabant, diem consumi volebant, id quod est factum; perspiciebant enim in Hortensi sententiam multis partibus pluris ituros, quamquam aperte Volcacio adsentirentur. Multi rogabantur, atque id ipsum consulibus non invitis; nam ei Bibuli sententiam valere cupierunt. Hac controversia usque ad noctem ducta senatus dimissus est. Ego eo die casu apud Pompeium cenavi nactusque tempus hoc magis idoneum quam umquam antea, quod post tuum discessum is dies honestissimus nobis fuerat in senatu, ita sum cum illo locutus, ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere. Quem ego ipsum cum audio, prorsus eum libero omni suspicione cupiditatis; cum autem eius familiaris omnium ordinum video, perspicio, id quod iam omnibus est apertum, totam rem istam iam pridem a certis hominibus non invito rege ipso consiliariisque eius esse corruptam.

Haec scripsi a. d. XVI K. Februarias ante lucem; eo die senatus erat futurus. Nos in senatu, quem ad modum spero, dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia et iniquitate, retinebimus. Quod ad popularem rationem attinet, hoc videmur esse consecuti, ut ne quid agi cum populo aut salvis auspiciis aut salvis legibus aut

denique sine vi posset. De his rebus pridie quam haec scripsi, senatus auctoritas gravissima intercessit, cui quom Cato et Caninius intercessissent, tamen est perscripta; eam ad te missam esse arbitror. De ceteris rebus quicquid erit actum scribam ad te, et ut quam rectissime agantur omnia mea cura, opera, diligentia, gratia providebo.

Cic. *ad Fam.* I, 2

MOTION OF CICERO IN THE SENATE (DEC. 20, 44 B.C.)

QUAS ob res, quod tribuni plebis verba fecerunt, uti senatus Kalendis Ianuariis tuto haberi sententiaeque de summa re publica libere dici possint, de ea re ita censeo, uti C. Pansa A. Hirtius, consules designati, dent operam uti senatus Kalendis Ianuariis tuto haberi possit; quodque edictum D. Bruti, imperatoris, consulis designati, propositum sit, senatum existimare D. Brutum, imperatorem, consulem designatum, optime de re publica mereri, cum senatus auctoritatem populique Romani libertatem imperiumque defendat; quodque provinciam Galliam citeriorem, optimorum et fortissimorum virorum amicissimorumque rei publicae civium, exercitumque in senatus potestate retineat, id eum exercitumque eius, municipia, colonias provinciae Galliae recte atque ordine exque re publica fecisse et facere; senatum ad summam rem publicam pertinere arbitrari a D. Bruto et L. Planco, imperatoribus, consulibus designatis, itemque a ceteris qui provincias obtinent, obtineri ex lege Iulia, quoad ex senatus consulto cuique eorum successum sit, eosque dare operam ut eae provinciae eique exercitus in senati populique potestate praesidioque rei publicae sint; cumque opera,

virtute, consilio C. Caesaris summoque consensu militum veteranorum qui eius auctoritatem secuti rei publicae praesidio sunt et fuerunt, a gravissimis periculis populus Romanus defensus sit et hoc tempore defendatur; cumque legio Martia Albae constiterit, in municipio fidelissimo et fortissimo, seseque ad senatus auctoritatem populique Romani libertatem contulerit; et quod pari consilio eademque virtute legio quarta usa, duce L. Egnatuleio, quaestore, civi egregio, senatus auctoritatem populique Romani libertatem defendat ac defenderit, senatui magnae curae esse ac fore ut pro tantis eorum in rem publicam meritis honores eis habeantur gratiaeque referantur; senatui placere uti C. Pansa A. Hirtius, consules designati, cum magistratum inissent, si eis videretur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referrent, ita uti e re publica fideque sua videretur.

Cic. *Phil.* III, 37–39

CICERO SECONDS THE MOTION OF SERVILIUS

QUAE cum ita sint, de mandatis litterisque M. Lepidi, viri clarissimi, Servilio adsentior, et hoc amplius censeo, Magnum Pompeium, Gnaei filium, pro patris maiorumque suorum animo studioque in rem publicam suaque pristina virtute, industria, voluntate fecisse, quod suam eorumque quos secum haberet operam senatui populoque Romano pollicitus esset, eamque rem senatui populoque Romano gratam acceptamque esse, eique honori dignitatique eam rem fore. Hoc vel coniungi cum hoc senatus consulto licet vel seiungi potest separatimque perscribi, ut proprio senatus consulto Pompeius conlaudatus esse videatur.

Cic. *Phil.* XIII, 50

A VOTE OF THE SENATE (JANUARY, 100 A.D.)

CORNUTUS Tertullus, consul designatus, vir egregius et pro veritate firmissimus, censuit septingenta milia quae acceperat Marius aerario inferenda, Mario urbe Italiaque interdicendum, Marciano hoc amplius Africa. In fine sententiae adiecit, quod ego et Tacitus iniuncta advocatione diligenter et fortiter functi essemus, arbitrari senatum ita nos fecisse ut dignum mandatis partibus fuerit. Adsenserunt consules designati, omnes etiam consulares usque ad Pompeium Collegam: ille et septingenta milia aerario inferenda et Marcianum in quinquennium relegandum, Marium repetundarum poenae, quam iam passus esset, censuit relinquendum. Erant in utraque sententia multi, fortasse etiam plures in hac vel solutiore vel molliore. Nam quidam ex illis quoque qui Cornuto videbantur adsensi hunc, qui post ipsos censuerat, sequebantur. Sed cum fieret discessio, qui sellis consulum adstiterant in Cornuti sententiam ire coeperunt. Tum illi qui se Collegae adnumerari patiebantur in diversum transierunt, Collega cum paucis relictus.

PLIN. *Ep.* II, 11, 19–22

QUOD ad rem publicam pertinet, omnino multis diebus exspectatione Galliarum actum nihil est; aliquando tamen saepe re dilata et graviter acta, et plane perspecta Cn. Pompei voluntate in eam partem ut eum decedere post K. Martias placeret, senatus consultum quod tibi misi factum est, auctoritatesque perscriptae.

Senatus consultum, Auctoritates. Pr. K. Octobris in aede Apollinis scrib. adfuerunt L. Domitius Cn. f. Fab. Ahenobarbus, Q. Caecilius Q. f. Fab. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. f. Pom. Annalis, C. Septimius T. f. Qui., C. Lucilius C. f. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. f. Pop. Curio, L. Ateius L. f. An. Capito, M. Eppius M. f. Ter. Quod M. Marcellus cos. v. f. de provinciis consularibus, d. e. r. i. c., uti L. Paulus, C. Marcellus coss., cum magistratum inissent, ex K. Mart. quae in suo magistratu futurae essent de consularibus provinciis ad senatum referrent, neve quid prius ex K. Mart. ad senatum referrent neve quid coniunctim (de ea re referretur a consiliis), utique eius rei causa per dies comitialis senatum haberent senatusque cons. facerent et, cum de ea re ad senatum referretur, a consiliis, qui eorum in CCC iudicibus essent, s. f. s. adducere liceret; si quid de ea re ad populum pl. ve lato opus esset, uti Ser. Sulpicius, M. Marcellus coss., praetores tr. q. pl., quibus eorum videretur, ad populum pl. ve ferrent; quod si ii non tulissent, uti quicumque deinceps essent ad populum pl. ve ferrent. C.

Pr. K. Octobris in aede Apollinis scrib. adfuerunt L. Domitius Cn. f. Fab. Ahenobarbus, Q. Caecilius Q. f. Fab. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. f. Pom. Annalis, C. Septimius T. f. Qui., (C. Lucilius C. f. Pup. Hirrus,)

C. Scribonius C. f. Pop. Curio, L. Ateius L. f. An. Capito, M. Eppius M. f. Ter. Quod M. Marcellus cos. v. f. de provinciis, d. e. r. i. c., senatum existimare neminem eorum qui potestatem habent intercedendi, impediendi, moram adferre oportere quo minus de r. p. p. R. q. p. ad senatum referri senatique consultum fieri possit; qui impedierit, prohibuerit, eum senatum existimare contra rem publicam fecisse. Si quis huic S. C. intercesserit, senatui placere auctoritatem perscribi et de ea re ad senatum p. q. t. referri. Huic S. C. intercessit C. Caelius, L. Vinicius, P. Cornelius, C. Vibius Pansa, tr. pl.

Item senatui placere de militibus qui in exercitu C. Caesaris sunt, qui eorum stipendia emerita aut causas quibus de causis missi fieri debeant habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur causaeque cognoscantur. Si quis huic S. C. intercessisset, senatui placere auctoritatem perscribi et de ea re p. q. t. ad hunc ordinem referri. Huic S. C. intercessit C. Caelius, C. Pansa, tr. pl.

Itemque senatui placere in Ciliciam provinciam, in VIII reliquas provincias quas praetorii pro praetore obtinerent, eos qui praetores fuerunt neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in provincias pro praetore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere; si ex eo numero, quos (ex) S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent qui in eas provincias proficiscerentur, tum, uti quodque conlegium primum praetorum fuisset neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur; si ii ad numerum non essent, tum deinceps proximi cuiusque conlegii qui praetores fuissent neque in provincias profecti essent, in sortem coicerentur, quoad is numerus effectus esset quem ad numerum in provincias mitti oporteret. Si quis huic S. C.

intercessisset, auctoritas perscriberetur. Huic S. C. intercessit C. Caelius, C. Pansa, tr. pl.

Illa praeterea Cn. Pompei sunt animadversa, quae maxime confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret se ante K. Martias non posse sine iniuria de provinciis Caesaris statuere, post K. Martias se non dubitaturum. Cum interrogaretur, si qui tum intercederent, dixit hoc nihil interesse utrum C. Caesar senatui dicto audiens futurus non esset an pararet qui senatum decernere non pateretur. "Quid si," inquit alius, "et consul esse et exercitum habere volet?" At ille quam clementer: "Quid si filius meus fustem mihi impingere volet?" His vocibus, ut existimarent homines Pompeio cum Caesare esse negotium, effecit. Itaque iam, ut video, alteram utram ad condicionem descendere vult Caesar, ut aut maneat neque hoc anno sua ratio habeatur aut, si designari poterit, discedat. Curio se contra eum totum parat. Quid adsequi possit nescio; illud video, bene sentientem, etsi nihil effecerit, cadere non posse. Me tractat liberaliter Curio et mihi suo munere negotium imposuit; nam si mihi non dedisset eas quae ad ludos ei advectae erant Africanae, potuit supersederi; nunc quoniam dari necesse est, velim tibi curae sit, quod a te semper petii, ut aliquid istinc bestiarum habeamus; Sittianamque syngrapham tibi commendo. Libertum Philonem istoc misi et Diogenem Graecum, quibus mandata et litteras ad te dedi. Eos tibi et rem de qua misi velim curae habeas; nam quam vehementer ad me pertineat, in iis quas tibi illi reddent litteris perscripsi.

CIC. *ad Fam.* VIII, 8

ETSI rei publicae causa maxime gaudere debeo tantum ei te praesidi, tantum opis attulisse extremis paene temporibus, tamen ita te victorem complectar re publica reciperata, ut magnam partem mihi laetitiae tua dignitas adfert, quam et esse iam et futuram amplissimam intellego. Cave enim putes ullas umquam litteras gratiores quam tuas in senatu esse recitatas; idque contigit cum meritorum tuorum in rem p. eximia quadam magnitudine, tum verborum sententiarumque gravitate. Quod mihi quidem minime novum, qui et te nossem et tuarum litterarum ad me missarum promissa meminissem et haberem a Furnio nostro tua penitus consilia cognita, sed senatui maiora visa sunt quam erant exspectata, non quo umquam de tua voluntate dubitasset, sed nec quantum facere posses nec quo progredi velles exploratum satis habebat.

Itaque cum a. d. VII Idus Aprilis mane mihi tuas litteras M. Varisidius reddidisset easque legissem, incredibili gaudio sum elatus; cumque magna multitudo optimorum virorum et civium me domo deduceret, feci continuo omnis participes meae voluptatis. Interim ad me venit Munatius noster, ut consuerat. At ego ei litteras tuas, nihildum enim sciebat; nam ad me primum Varisidius, idque sibi a te mandatum esse dicebat. Paulo post idem mihi Munatius eas litteras legendas dedit quas ipsi miseras, et eas quas publice. Placuit nobis ut statim ad Cornutum, pr. urb., litteras deferremus, qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum. Senatus est continuo convocatus, frequensque convenit propter famam atque exspectationem tuarum litterarum. Recitatis litteris, oblata religio Cornuto est pullariorum admonitu non satis diligenter

eum auspiciis operam dedisse, idque a nostro conlegio comprobatum est. Itaque res dilata est in posterum. Eo autem die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio; qui cum gratia effecisset ut sua sententia prima pronuntiaretur, frequens eum senatus reliquit et in alia omnia discessit, meaeque sententiae, quae secunda pronuntiata erat, cum frequenter adsentiretur senatus, rogatu Servili P. Titius intercessit. Res in posterum dilata. Venit paratus Servilius Iovi ipsi iniquus, cuius in templo res agebatur. Hunc quem ad modum fregerim quantaque contentione Titium intercessorem abiecerim, ex aliorum te litteris malo cognoscere; unum hoc ex meis: senatus gravior, constantior, amicior tuis laudibus esse non potuit quam tum fuit, nec vero tibi senatus amicior quam cuncta civitas; mirabiliter enim populus R. universus et omnium generum ordinumque consensus ad liberandam rem p. conspiravit.

Perge igitur, ut agis, nomenque tuum commenda immortalitati atque haec omnia quae habent speciem gloriae conlectam inanissimis splendoris insignibus contemne, brevia, fucata, caduca existima. Verum decus in virtute positum est, quae maxime inlustratur magnis in rem p. meritis. Eam facultatem habes maximam. Quam quoniam complexus es et tenes, perfice ut ne minus res p. tibi quam tu rei p. debeas. Me tuae dignitatis non modo fautorem sed etiam amplificatorem cognosces. Id cum rei p., quae mihi vita est mea carior, tum nostrae necessitudini debere me iudico. Atque in his curis quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam voluptatem, quod bene cognitam mihi T. Munati prudentiam et fidem magis etiam perspexi in eius incredibili erga te benevolentia et diligentia. III Idus Apr.

CIC. *ad Fam.* X, 12

MEETING OF THE SENATE (DEC. 43 B.C.)

CICERO TREBONIO S.

QUAM vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martiis invitasses! reliquiarum nihil haberemus. At nunc cum iis tantum negoti est, ut vestrum illud divinum in rem p. beneficium non nullam habeat querelam. Quod vero a te, viro optimo, seductus est tuoque beneficio adhuc vivit haec pestis, interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor; mihi enim negoti plus reliquisti uni quam praeter me omnibus. Ut enim primum post Antoni foedissimum discessum senatus haberi libere potuit, ad illum animum meum reverti pristinum, quem tu cum civi acerrimo, patre tuo, in ore et amore semper habuisti. Nam cum senatum a. d. XIII K. Ian. tr. pl. vocavissent deque alia re referrent, totam rem p. sum complexus egique acerrime senatumque iam languentem et defessum ad pristinam virtutem consuetudinemque revocavi magis animi quam ingeni viribus. Hic dies meaque contentio atque actio spem primum populo R. attulit libertatis reciperandae; nec vero ipse postea tempus ullum intermisi de re p. non cogitandi solum sed etiam agendi.

Quod nisi res urbanas actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem, quamquam eram maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognosces ex aliis; a me pauca, et ea summatim. Habemus fortem senatum, consularis partim timidos, partim male sentientis; magnum damnum factum est in Servio; L. Caesar optime sentit sed, quod avunculus est, non acerrimas dicit sententias; consules egregii, praeclarus D. Brutus, egregius puer

Caesar, de quo spero equidem reliqua; hoc vero certum habeto, nisi ille veteranos celeriter conscripsisset legionesque duae de exercitu Antoni ad eius se auctoritatem contulissent atque is oppositus esset terror Antonio, nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis praeteriturum fuisse. Haec tibi, etsi audita esse arbitrabar, volui tamen notiora esse. Plura scribam, si plus oti habuero.

CIC. *ad Fam.* X, 28

SENATORIAL DELIBERATIONS PRECEDING THE CIVIL WAR (49 B.C.)

LITTERIS a C. Caesare consulibus redditis, aegre ab his impetratum est summa tribunorum plebis contentione, ut in senatu recitarentur; ut vero ex litteris ad senatum referretur, impetrari non potuit. Referunt consules de re publica. L. Lentulus consul senatui reique publicae se non defuturum pollicetur, si audacter ac fortiter sententias dicere velint; sin Caesarem respiciant atque eius gratiam sequantur, ut superioribus fecerint temporibus, se sibi consilium capturum neque senatus auctoritati obtemperaturum; habere se quoque ad Caesaris gratiam atque amicitiam receptum. In eandem sententiam loquitur Scipio: Pompeio esse in animo rei publicae non deesse, si senatus sequatur; si cunctetur atque agat lenius, nequiquam eius auxilium, si postea velit, senatum imploraturum.

II. Haec Scipionis oratio, quod senatus in urbe habebatur Pompeiusque aderat, ex ipsius ore Pompei mitti videbatur. Dixerat aliquis leniorem sententiam, ut primo M. Marcellus, ingressus in eam orationem, non oportere ante de ea re ad senatum referri quam delectus tota Italia

habiti et exercitus conscripti essent, quo praesidio tuto et libere senatus quae vellet decernere auderet; ut M. Calidius, qui censebat ut Pompeius in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa: timere Caesarem, ereptis ab eo duabus legionibus, ne ad eius periculum reservare et retinere eas ad urbem Pompeius videretur; ut M. Rufus, qui sententiam Calidii paucis fere mutatis rebus sequebatur. Hi omnes convicio L. Lentuli consulis correpti exagitabantur. Lentulus sententiam Calidii pronuntiaturum se omnino negavit, Marcellus perterritus conviciis a sua sententia discessit. Sic vocibus consulis, terrore praesentis exercitus, minis amicorum Pompei plerique compulsi inviti et coacti Scipionis sententiam secuntur: uti ante certam diem Caesar exercitum dimittat; si non faciat, eum adversus rem publicam facturum videri. Intercedit M. Antonius, Q. Cassius, tribuni plebis. Refertur confestim de intercessione tribunorum. Dicuntur sententiae graves; ut quisque acerbissime crudelissimeque dixit, ita maxime ab inimicis Caesaris conlaudatur.

III. Misso ad vesperum senatu, omnes qui sunt eius ordinis a Pompeio evocantur. Laudat Pompeius atque in posterum confirmat, segniores castigat atque incitat. Multi undique ex veteribus Pompei exercitibus spe praemiorum atque ordinum evocantur, multi ex duabus legionibus quae sunt traditae a Caesare accersuntur. Completur urbs et comitium tribunis, centurionibus, evocatis. Omnes amici consulum, necessarii Pompei atque eorum qui veteres inimicitias cum Caesare gerebant, in senatum coguntur; quorum vocibus et concursu terrentur infirmiores, dubii confirmantur, plerisque vero libere decernendi potestas eripitur. Pollicetur L. Piso censor, sese iturum ad Caesarem, item L. Roscius praetor, qui de his rebus eum

doceant; sex dies ad eam rem conficiendam spatii postulant. Dicuntur etiam ab nonnullis sententiae, ut legati ad Caesarem mittantur qui voluntatem senatus ei proponant.

IV. Omnibus his resistitur omnibusque oratio consulis, Scipionis, Catonis opponitur. Catonem veteres inimicitiae Caesaris incitant et dolor repulsae. Lentulus aeris alieni magnitudine et spe exercitus ac provinciarum et regum appellandorum largitionibus movetur, seque alterum fore Sullam inter suos gloriatur, ad quem summa imperii redeat. Scipionem eadem spes provinciae atque exercituum impellit, quos se pro necessitudine partiturum cum Pompeio arbitrabatur, simul iudiciorum metus, adulatio atque ostentatio sui et potentium qui in re publica iudiciisque tum plurimum pollebant. Ipse Pompeius, ab inimicis Caesaris incitatus, et quod neminem dignitate secum exaequari volebat, totum se ab eius amicitia averterat et cum communibus inimicis in gratiam redierat, quorum ipse maximam partem illo adfinitatis tempore iniunxerat Caesari; simul infamia duarum legionum permotus, quas ab itinere Asiae Syriaeque ad suam potentiam dominatumque converterat, rem ad arma deduci studebat.

V. His de causis aguntur omnia raptim atque turbate. Nec docendi Caesaris propinquis eius spatium datur, nec tribunis plebis sui periculi deprecandi neque etiam extremi iuris intercessione retinendi [quod L. Sulla reliquerat] facultas tribuitur, sed de sua salute septimo die cogitare coguntur, quod illi turbulentissimi superioribus temporibus tribuni plebis post octo denique menses variarum actionum respicere ac timere consuerant. Decurritur ad illud extremum atque ultimum senatus consultum, quo nisi paene in ipso urbis incendio atque in desperatione omnium salutis . . . numquam ante descensum est: dent operam consules,

praetores, tribuni plebis, quique pro coss. sint ad urbem, ne quid res publica detrimenti capiat. Haec SCto perscribuntur a. d. VII Id. Ian. Itaque V primis diebus quibus haberi senatus potuit, qua ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali et de imperio Caesaris et de amplissimis viris, tribunis plebis, gravissime acerbissimeque decernitur. Profugiunt statim ex urbe tribuni plebis seseque ad Caesarem conferunt. Is eo tempore erat Ravennae expectabatque suis lenissimis postulatis responsa, si qua hominum aequitate res ad otium deduci posset.

VI. Proximis diebus habetur extra urbem senatus. Pompeius eadem illa quae per Scipionem ostenderat agit; senatus virtutem constantiamque conlaudat; copias suas exponit: legiones habere sese paratas X; praeterea cognitum compertumque sibi, alieno esse animo in Caesarem milites, neque iis posse persuaderi uti eum defendant aut sequantur saltem. De reliquis rebus ad senatum refertur: tota Italia delectus habeatur; Faustus Sulla propere in Mauritaniam mittatur; pecunia uti ex aerario Pompeio detur. Refertur etiam de rege Iuba, ut socius sit atque amicus; Marcellus vero passurum in praesentia negat. De Fausto impedit Philippus tribunus plebis. De reliquis rebus senatus consulta perscribuntur. Provinciae privatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae. Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia. Philippus et Cotta privato consilio praetereuntur, neque eorum sortes deiciuntur. In reliquas provincias praetores mittuntur. Neque expectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum feratur, paludatique votis nuncupatis exeunt. Consules, quod ante id tempus accidit numquam, clam ex urbe proficiscuntur, lictoresque habent in urbe et Capitolio privati contra omnia vetustatis exempla. Tota Italia delectus

habentur, arma imperantur, pecuniae a municipiis exiguntur, e fanis tolluntur, omnia divina humanaque iura permiscentur.

VII. Quibus rebus cognitis, Caesar apud milites contionatur. Omnium temporum iniurias inimicorum in se commemorat; a quibus deductum ac depravatum Pompeium queritur invidia atque obtrectatione laudis suae, cuius ipse honori et dignitati semper faverit adiutorque fuerit. Novum in re publica introductum exemplum queritur, ut tribunicia intercessio armis notaretur atque obprimeretur, quae superioribus annis esset restituta. Sullam nudata omnibus rebus tribunicia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse; Pompeium, qui amissa restituisse videatur bona, etiam quae ante habuerint ademisse. Quotienscumque sit decretum, darent operam magistratus ne quid res publica detrimenti caperet, qua voce et quo senatus consulto populus Romanus ad arma sit vocatus, factum in perniciosis legibus, in vi tribunicia, in secessione populi, templis locisque editioribus occupatis; atque haec superioris aetatis exempla expiata, Saturnini atque Gracchorum casibus docet; quarum rerum illo tempore nihil factum, ne cogitatum quidem (nulla lex promulgata, non cum populo agi coeptum, nulla secessio facta). Hortatur, cuius imperatoris ductu VIIII annis rem publicam felicissime gesserint plurimaque proelia secunda fecerint, omnem Galliam Germaniamque pacaverint, ut eius existimationem dignitatemque ab inimicis defendant. Conclamant legionis XIII, quae aderat, milites (hanc enim initio tumultus evocaverat; reliquae nondum venerant): sese paratos esse imperatoris sui tribunorumque plebis iniurias defendere.

Caesar, *Bell. Civ.* I, 1–7

CAESAR'S LAW REGARDING DEBT, AND ITS ENFORCEMENT

DICTATORE habente comitia Caesare, consules creantur Iulius Caesar et P. Servilius: is enim erat annus quo per leges ei consulem fieri liceret. His rebus confectis, cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur, constituit ut arbitri darentur; per eos fierent aestimationes possessionum et rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuisset, atque hae creditoribus traderentur. Hoc et ad timorem novarum tabularum tollendum minuendumque, qui fere bella et civiles dissensiones sequi consuevit, et ad debitorum tuendam existimationem esse aptissimum existimavit. Itemque praetoribus tribunisque plebis rogationes ad populum ferentibus, nonnullos ambitus Pompeia lege damnatos illis temporibus quibus in urbe praesidia legionum Pompeius habuerat, quae iudicia aliis audientibus iudicibus, aliis sententiam ferentibus singulis diebus erant perfecta, in integrum restituit, qui se illi initio civilis belli optulerant, si sua opera in bello uti vellet, proinde aestimans ac si usus esset, quoniam sui fecissent potestatem. Statuerat enim, prius hos iudicio populi debere restitui quam suo beneficio videri receptos, ne aut ingratus in referenda gratia aut arrogans in praeripiendo populi beneficio videretur. His rebus et feriis Latinis comitiisque omnibus perficiendis XI dies tribuit, dictaturaque se abdicat et ab urbe proficiscitur Brundisiumque pervenit.

Isdem temporibus M. Coelius Rufus praetor, causa debitorum suscepta, initio magistratus tribunal suum iuxta C. Treboni, praetoris urbani, sellam collocavit et, si quis appellavisset de aestimatione et de solutionibus quae per

arbitrum fierent, ut Caesar praesens constituerat, fore auxilio pollicebatur. Sed fiebat aequitate decreti et humanitate Treboni, qui his temporibus clementer et moderate ius dicendum existimabat, ut reperiri non possent a quibus initium appellandi nasceretur. Nam fortasse inopiam excusare et calamitatem aut propriam suam aut temporum queri et difficultates auctionandi proponere etiam mediocris est animi; integras vero tenere possessiones, qui se debere fateantur, cuius animi aut cuius inpudentiae est? Itaque, hoc qui postularet reperiebatur nemo. Atque ipsis ad quorum commodum pertinebat, durior inventus est Coelius. Set ab hoc profectus initio, ne frustra ingressus turpem causam videretur, legem promulgavit, ut sexenni die sine usuris creditae pecuniae solvantur.

Cum resisteret Servilius consul reliquique magistratus, et minus opinione sua efficeret, ad hominum excitanda studia sublata priore lege duas promulgavit, unam qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit, aliam tabularum novarum, impetuque multitudinis in C. Trebonium facto et non nullis vulneratis, eum de tribunali deturbavit. De quibus rebus Servilius consul ad senatum retulit, senatusque Coelium ab re publica removendum censuit. Hoc decreto eum consul senatu prohibuit et contionari conantem de rostris deduxit. Ille ignominia et dolore permotus palam se proficisci ad Caesarem simulavit; clam nuntiis ad Milonem missis, qui Clodio interfecto eo nomine erat damnatus, atque eo in Italiam evocato, quod magnis muneribus datis gladiatoriae familiae reliquias habebat, sibi coniunxit atque eum in Thurinum ad sollicitandos pastores praemisit. Ipse cum Casilinum venisset, unoque tempore signa eius militaria atque arma Capuae essent comprensa et familia Neapoli visa, quae proditionem oppidi appararet,

patefactis consiliis, exclusus Capua et periculum veritus, quod conventus arma ceperat atque eum hostis loco habendum existimabat, consilio destitit atque eo itinere sese avertit.

Interim Milo, dimissis circum municipia litteris, se ea quae faceret iussu atque imperio facere Pompei, quae mandata ad se per Vibullium delata essent, quos ex aere alieno laborare arbitrabatur, sollicitabat. Apud quos cum proficere nihil posset, quibusdam solutis ergastulis, Cosam in agro Thurino oppugnare coepit. Eo cum a Q. Pedio praetore cum legione . . . , lapide ictus ex muro periit. Et Coelius profectus, ut dictitabat, ad Caesarem pervenit Thurios. Ubi cum quosdam eius municipii sollicitaret equitibusque Caesaris Gallis atque Hispanis, qui eo praesidii causa missi erant, pecuniam polliceretur, ab his est interfectus. Ita magnarum initia rerum, quae occupatione magistratuum et temporum sollicitam Italiam habebant, celerem et facilem exitum habuerunt.

CAESAR, *Bell. Civ.* III, 1 and 20–22

VERBA SENATUS CONSULTI (161 B.C.); VERBA EDICTI CENSORUM (92 B.C.)

C. FANNIO STRABONE, M. Valerio Messala coss. senatus consultum de philosophis et de rhetoribus factum est: M. Pomponius praetor senatum consuluit. Quod verba facta sunt de philosophis et de rhetoribus, de ea re ita censuerunt, ut M. Pomponius praetor animadverteret curaretque uti ei e re publica fideque sua videretur uti Romae ne essent.

Aliquot deinde annis post id senatus consultum, Cn. Domitius Ahenobarbus et L. Licinius Crassus censores de coercendis rhetoribus Latinis ita edixerunt: Renuntiatum

est nobis, esse homines qui novum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuventus in ludum conveniat; eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras, ibi homines adulescentulos dies totos desidere. Maiores nostri quae liberos suos discere et quos in ludos itare vellent instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur. Quapropter et his qui eos ludos habent, et his qui eo venire consuerunt, visum est faciundum ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere.

Neque illis solum temporibus nimis rudibus necdum Graeca disciplina expolitis philosophi ex urbe Roma pulsi sunt, verum etiam Domitiano imperante senatus consulto eiecti atque urbe et Italia interdicti sunt. Qua tempestate Epictetus quoque philosophus propter id senatus consultum Nicopolim Roma decessit.

AUL. GELL. XV, 11

FRAGMENT OF THE LEX IULIA MUNICIPALIS (49 B.C.)

POLICE REGULATIONS FOR THE CITY OF ROME

1. Quem hac lege ad consulem profiterei oportebit, sei is, quom ei profiterei oportebit, Romae non erit, tum quei eius negotia curabit, is eadem omnia quae eum quoius negotia curabit, sei Romae esset h. l. profiterei oporteret, item isdemque diebus ad cos. profitemino.

2. Quem h. l. ad cos. profiterei oportebit, sei is pupillus seive ea pupilla erit, tum quei eius pupilli pupillaeve tutor erit, item eademque omnia in iisdem diebus ad cos. profitemino, ita utei et quae quibusque diebus eum eamve, sei pupillus pupillave non esset, h. l. profiterei oporteret.

3. Sei cos. ad quem h. l. professiones fierei oportebit, Romae non erit, tum is quem profiterei oportebit, quod eum profiterei oportebit, ad praetorem urbanum, aut sei is Romae non erit, ad eum praetorem quei inter peregrinos ius deicet, profitemino, ita utei eum ad cos., sei tum Romae esset, h. l. profiterei oporteret.

4. Sei ex eis cos. et praetoribus ad quos h. l. professiones fierei oportebit, nemo eorum Romae erit, tum is quem profiterei oportebit, quod eum profiterei oportebit, ad tribunum plebei profitemino, ita utei eum ad cos. praetoremque urbanum eumque quei inter peregrinos ius deicet, sei tum Romae esset, h. l. profiterei oporteret.

5. Quod quemquem h. l. profiterei oportebit, is apud quem ea professio fiet, eius quei profitebitur nomen, et ea quae professus erit, et quo die professus sit, in tabulas publicas referunda curato, eademque omnia quae uteique in tabulas rettulerit ita in tabulam in album referunda curato, idque aput forum, et quom frumentum populo dabitur, ibei ubei frumentum populo dabitur, cottidie maiorem partem diei propositum habeto, unde de plano recte legi possit.

6. Queiquomque frumentum populo dabit damdumve curabit, nei quoi eorum quorum nomina h. l. ad cos. praetorem tribunum plebis in tabula in albo proposita erunt, frumentum dato neve dare iubeto neve sinito. Quei adversus ea eorum quoi frumentum dederit, is in tritici modios I HS IↃↃↃ populo dare damnas esto, eiusque pecuniae quei volet petitio esto.

7. Quae viae in urbem Romam, propiusve urbem Romam passus M, ubei continente habitabitur, sunt erunt, quoius ante aedificium earum quae via erit, is eam viam arbitratu eius aedilis quoi ea pars urbis h. l. obvenerit, tueatur; isque aedilis curato uti, quorum ante aedificium erit, quamque

viam h. l. quemque tueri oportebit, ei omnes eam viam arbitratu eius tueantur, neve eo loco aqua consistat, quo minus conmode populus ea via utatur.

8. Aediles curules aediles plebei, quei nunc sunt, queiquomque post h. l. rogatam factei createi erunt eumve magistratum inierint, iei in diebus V proxumeis quibus eo magistratu designatei erunt eumve magistratum inierint, inter se paranto aut sortiunto, qua in partei urbis quisque eorum vias publicas in urbem Romam, propiusve urbem Romam passus M, reficiundas sternendas curet, eiusque rei procurationem habeat. Quae pars quoique aedilei ita h. l. obvenerit, eius aedilis in eis loceis quae in ea partei erunt, viarum reficiendarum tuemdarum procuratio esto, utei h. l. oportebit.

9. Quae via inter aedem sacram et aedificium locumve publicum et inter aedificium privatum est erit, eius viae partem dimidiam is aedilis quoi ea pars urbis obvenerit, in qua parte ea aedis sacra erit seive aedificium publicum seive locus publicus, tuemdam locato.

10. Quemquomque ante suum aedificium viam publicam h. l. tueri oportebit, quei eorum eam viam arbitratu eius aedilis quoius oportuerit non tuebitur, eam viam aedilis quoius arbitratu eam tuerei oportuerit tuemdam locato; isque aedilis, diebus ne minus X antequam locet, aput forum ante tribunale suom propositum habeto, quam viam tuendam et quo die locaturus sit, et quorum ante aedificium ea via sit; eisque quorum ante aedificium ea via erit, procuratoribusque eorum domum denuntietur facito, se eam viam locaturum, et quo die locaturus sit; eamque locationem palam in foro per quaestorem urbanum, eumve quei aerario praerit, facito. Quamta pecunia eam viam locaverit, tamtae pecuniae eum eosque quorum ante aedificium ea via erit pro portioni, quamtum quoiusque ante aedificium

viae in longitudine et in latitudine erit, quaestor urbanus, queive aerario praerit, in tabulas publicas pecuniae factae referundum curato. Ei quei eam viam tuemdam redemerit, tamtae pecuniae eum eosve adtribuito sine dolo malo. Sei is quei adtributus erit eam pecuniam diebus XXX proxumeis quibus ipse aut procurator eius sciet adtributionem factam esse, ei quoi adtributus erit non solverit, neque satisfecerit, is quamtae pecuniae adtributus erit, tamtam pecuniam et eius dimidium ei quoi adtributus erit dare debeto, inque eam rem is, quoquomque de ea re aditum erit, iudicem iudiciumve ita dato, utei de pecunia credita iudicem iudiciumve dari oporteret.

11. Quam viam h. l. tuemdam locari oportebit, aedilis quem eam viam tuendam locare oportebit, is eam viam per quaestorem urbanum, queive aerario praerit, tuemdam locato, utei eam viam arbitratu eius quei eam viam locandam curaverit, tueatur. Quamtam pecuniam ita quaeque via locata erit, tantam pecuniam quaestor urbanus, queive aerario praerit, redemptorei quoi e lege locationis dari oportebit, heredeive eius damdam adtribuendam curato.

12. Quo minus aediles et IIIIvirei vieis in urbem purgandeis, IIvirei vieis extra propiusve urbem Romam passus M purgandeis, queiquomque erunt, vias publicas purgandas curent eiusque rei potestatem habeant, ita utei legibus plebeive scitis S. ve C. oportet oportebit, eorum h. l. nihil rogatur.

13. Quoius ante aedificium semita in loco erit, is eam semitam eo aedificio perpetuo lapidibus perpetueis integreis continentem constratam recte habeto arbitratu eius aedilis quoius in ea parte h. l. viarum procuratio erit.

14. Quae viae in urbem Romam sunt erunt intra ea loca ubi continenti habitabitur, ne quis in ieis vieis post

K. Ianuar. primas plostrum interdiu post solem ortum, neve ante horam X diei ducito agito, nisi quod aedium sacrarum deorum inmortalium caussa aedificandarum, operisve publice faciumdei causa, advehei portari oportebit, aut quod ex urbe exve ieis loceis earum rerum quae publice demoliendae locatae erunt, publice exportarei oportebit, et quarum rerum caussa plostra h. l. certeis hominibus certeis de causeis agere ducere licebit.

15. Quibus diebus virgines Vestales, regem sacrorum, flamines plostreis in urbe sacrorum publicorum populi Romani caussa vehi oportebit, quaeque plostra triumphi caussa, quo die quisque triumphabit, ducei oportebit, quaeque plostra ludorum quei Romae aut urbei Romae propius passus M publice feient, inve pompam ludeis circiensibus ducei agei opus erit: quo minus earum rerum caussa eisque diebus plostra interdiu in urbe ducantur agantur, eius hac lege nihil rogatur.

16. Quae plostra noctu in urbem inducta erunt, quo minus ea plostra inania aut stercoris exportandei caussa post solem ortum horis X diei bubus iumentisve iuncta in urbe Roma et ab urbe Roma passus M esse liceat, eius h. l. nihil rogatur.

17. Quae loca publica porticusve publicae in urbe Roma propiusve urbei Romae passus M sunt erunt, quorum locorum quoiusque porticus aedilium eorumve magistratuom quei vieis loceisque publiceis urbis Romae propiusve urbei Romae passus M purgandeis praerunt, legibus procuratio est erit, nei quis in ieis loceis inve ieis porticibus quid inaedificatum inmolitumve habeto, neve ea loca porticumve quam possideto, neve eorum quod saeptum clausumve habeto, quo minus eis loceis porticibusque populus utatur pateantve, nisi quibus uteique legibus plebeive scitis senatusve consultis concessum permissumve est.

18. Quibus loceis ex lege locationis quam censor, aliusve quis magistratus publiceis vectigalibus ultrove tributeis fruendeis tuendeisve dixit dixerit, eis quei ea fruenda tuendave conducta habebunt, ut utei fruei liceat aut utei ea ab eis custodiantur, cautum est: ei quo minus ieis loceis utantur fruantur ita utei quoique eorum ex lege locationis ieis sine dolo malo utei fruei licebit, ex h. l. nihil rogatur.

19. Quos ludos quisque Romae propiusve urbei Romae passus M faciet, quo minus ei eorum ludorum caussa scaenam pulpitum ceteraque quae ad eos ludos opus erunt, in loco publico ponere statuere, eisque diebus quibus eos faciet, loco publico utei liceat, eius h. l. nihil rogatur.

20. Quei scribae librarei magistratibus apparebunt, ei quo minus loceis publiceis, ubei is quoi quisque eorum apparebunt, iuserit, apparendi caussa utantur, eius h. l. n. r.

21. Quae loca serveis publiceis ab censoribus habitandei utendei caussa adtributa sunt, ei quo minus eis loceis utantur, eius h. l. nihil rogatur.

REGULATIONS AFFECTING CERTAIN COMMUNITIES

22. Queiquomque in municipieis coloneis praefectureis foreis conciliabuleis civium Romanorum IIvirei IIIIvirei erunt, aliove quo nomine magistratum potestatemve sufragio eorum quei quoiusque municipi coloniae praefecturae fori conciliabuli erunt habebunt: nei quis eorum quem in eo municipio colonia praefectura foro conciliabulo in senatum decuriones conscriptosve legito neve sublegito neve coptato neve recitandos curato, nisi in demortuei damnateive locum eiusve quei confessus erit, se senatorem decurionem conscreiptumve ibei h. l. esse non licere.

23. Quei minor annos XXX natus est erit, nei quis eorum post Kalendas Ianuarias secundas in municipio

colonia praefectura IIviratum IIIIviratum neve quem alium magistratum petito neve capito neve gerito, nisei quei eorum stipendia equo in legione III, aut pedestria in legione VI fecerit, quae stipendia in castreis inve provincia maiorem partem sui quoiusque anni fecerit, aut bina semestria quae ei pro singuleis annueis procedere oporteat, aut ei vocatio rei militaris legibus plebeive scitis exve foidere erit, quocirca eum inveitum merere non oporteat. Neve quis quei praeconium dissignationem libitinamve faciet, dum eorum quid faciet, in municipio colonia praefectura IIviratum IIIIviratum aliumve quem magistratum petito neve capito neve gerito neve habeto, neve ibei senator neve decurio neve conscriptus esto, neve sententiam dicito. Quei eorum ex eis quei supra scriptei sunt, adversus ea fecerit, is HS IƆƆƆ populo dare damnas esto, eiusque pecuniae quei volet petitio esto.

24. Queiquomque in municipio colonia praefectura post K. Quinctiles primas comitia IIvireis IIIIvireis aleive quoi magistratui rogando subrogandove habebit, is ne quem quei minor anneis XXX natus est erit, IIvirum IIIIvirum, queive ibei alium magistratum habeat, renuntiato neve renuntiarei iubeto, nisi quei stipendia equo in legione III, aut stipendia pedestria in legione VI fecerit, quae stipendia in castreis inve provincia maiorem partem sui quoiusque anni fecerit, aut bina semestria quae ei pro singuleis annueis procedere oporteat, cum eo quod ei legibus plebeive sciteis procedere oportebit, aut ei vocatio rei militaris legibus plebeive sciteis exve foedere erit, quocirca eum invitum merere non oporteat. Neve eum quei praeconium dissignationem libitinamve faciet, dum eorum quid faciet, IIvirum IIIIvirum, queive ibei magistratus sit, renuntiato, neve in senatum neve in decurionum conscriptorumve

numero legito sublegito coptato, neve sententiam rogato neve dicere neve ferre iubeto sciens dolo malo. Quei adversus ea fecerit, is HS IↃↃↃ populo dare damnas esto, eiusque pecuniae quei volet petitio esto.

25. Quae municipia coloniae praefecturae fora conciliabula civium Romanorum sunt erunt, nei quis in eorum quo municipio colonia praefectura foro conciliabulo in senatu decurionibus conscreipteisque esto, neve quoi ibi in eo ordine sententiam deicere ferre liceto: quei furtei, quod ipse fecit fecerit, condemnatus pactusve est erit; queive iudicio fiduciae pro socio tutelae mandatei iniuriarum deve dolo malo condemnatus est erit; queive lege Plaetoria ob eamve rem, quod adversus eam legem fecit fecerit, condemnatus est erit; queive depugnandei caussa auctoratus est erit fuit fuerit; queive in iure bonam copiam abiuravit abiuraverit, bonamve copiam iuravit iuraverit; queive sponsoribus creditoribusve sueis renuntiavit renuntiaverit, se soldum solvere non posse, aut cum eis pactus est erit, se soldum solvere non posse; prove quo datum depensum est erit; quoiusve bona ex edicto eius quei iure deicundo praefuit praefuerit, praeterquam sei quoius quom pupillus esset reive publicae caussa abesset, neque dolo malo fecit fecerit quo magis rei publicae caussa abesset, bona possessa proscriptave sunt erunt, possessa proscriptave sunt erunt; queive iudicio publico Romae condemnatus est erit, quocirca eum in Italia esse non liceat, neque in integrum restitutus est erit; queive in eo municipio colonia praefectura foro conciliabulo quoius erit, iudicio publico condemnatus est erit; quemve kalumniae praevaricationis caussa accussasse fecisseve quod iudicatum est erit; quoive aput exercitum ignominiae caussa ordo ademptus est erit; quemve imperator ignominiae caussa ab exercitu decedere iusit

iuserit; queive ob caput civis Romanei referundum pecuniam praemium aliudve quid cepit ceperit; queive corpore quaestum fecit fecerit; queive lanistaturam artemve ludicram fecit fecerit; queive lenocinium faciet. Quei adversus ea in municipio colonia praefectura foro conciliabulo in senatu decurionibus conscripteisve fuerit sentemtiamve dixerit, is HS IↃↃↃ populo dare damnas esto, eiusque pecuniae quei volet petitio esto.

26. Quoi h. l. in municipio colonia praefectura foro conciliabulo senatorem decurionem conscriptum esse, inque eo ordine sentemtiam dicere ferre non licebit, nei quis quei in eo municipio colonia praefectura foro conciliabulo senatum decuriones conscriptos habebit, eum in senatum decuriones conscriptos ire iubeto sciens dolo malo; neve eum ibei sentemtiam rogato neive dicere neive ferre iubeto sciens dolo malo; neve quis quei in eo municipio colonia praefectura foro conciliabulo sufragio eorum maxumam potestatem habebit, eorum quem ibei in senatum decuriones conscriptos ire, neve in eo numero esse neve sentemtiam ibei dicere ferreve sinito sciens dolo malo; neve quis eius rationem comitieis conciliove habeto, et si creatus erit, eum adversus h. l. ieis comitieis conciliove creatum esse renuntiato; neve quis quei ibei magistratum potestatemve habebit, eum cum senatu decurionibus conscripteis ludos spectare neive in convivio publico esse sinito sciens dolo malo.

27. Quibus h. l. in municipio colonia praefectura foro conciliabulo in senatu decurionibus conscripteis esse non licebit, ni quis eorum in municipio colonia praefectura foro conciliabulo IIviratum IIIIviratum aliamve quam potestatem ex quo honore in eum ordinem perveniat, petito neve capito; neve quis eorum ludeis, cumve gladiatores

ibei pugnabunt, in loco senatorio decurionum conscriptorum sedeto neve spectato; neve convivium publicum is inito; neive quis quem adversus ea creatum renuntiatum erit, ibei IIvir IIIIvir esto, neve ibei magistratum potestatemve habeto. Quei adversus ea fecerit, is HS IↃↃↃ populo dare damnas esto, eiusque pecuniae quei volet petitio esto.

28. Quae municipia coloniae praefecturae civium Romanorum in Italia sunt erunt, quei in eis municipieis coloneis praefectureis maximum magistratum maximamve potestatem ibei habebit tum cum censor aliusve quis magistratus Romae populi censum aget, is diebus LX proxumeis quibus sciet Romae censum populi agi, omnium municipium colonorum suorum queique eius praefecturae erunt, quei cives Romanei erunt, censum agito, eorumque nomina praenomina, patres aut patronos, tribus, cognomina, et quot annos quisque eorum habet, et rationem pecuniae, ex formula census quae Romae ab eo qui tum censum populi acturus erit proposita erit, ab ieis iurateis accipito; eaque omnia in tabulas publicas sui municipi referunda curato, eosque libros per legatos quos maior pars decurionum conscriptorum ad eam rem legarei mittei censuerint tum cum ea res consuleretur, ad eos quei Romae censum agent, mittito; curatoque utei, quom amplius dies XL reliquei erunt ante quam diem ei queiquomque Romae censum aget, finem populi censendi faciant, eos adeant librosque eius municipi coloniae praefecturae edant; isque censor, seive quis alius magistratus censum populi aget, diebus V proxumeis quibus legatei eius municipi coloniae praefecturae adierint, eos libros census quei ab ieis legateis dabuntur, accipito sine dolo malo, exque ieis libreis quae ibei scripta erunt, in tabulas publicas referunda curato, easque

tabulas eodem loco ubei ceterae tabulae publicae erunt in quibus census populi perscriptus erit, condendas curato.

29. Qui pluribus in municipieis coloneis praefectureis domicilium habebit, et is Romae census erit, quo magis in municipio colonia praefectura h. l. censeatur, eius h. l. nihil rogatur.

30. Quei lege plebeive scito permissus est fuit, utei leges in municipio fundano municipibusve eius municipi daret, sei quid is post h. l. rog. in eo anno proxumo quo h. l. populus iuserit, ad eas leges addiderit commutaverit conrexerit, municipis fundanos item teneto utei oporteret, sei eae res ab eo tum quom primum leges eis municipibus lege plebeive scito dedit, ad eas leges additae commutatae conrectae essent; neve quis intercedito neve quid facito, quo minus ea rata sint, quove minus municipis fundanos teneant eisque optemperetur.

VARIOUS EDICTS OF MAGISTRATES

PRAETORIS verba dicunt: Infamia notatur, qui ab exercitu ignominiae causa ab imperatore, eove cui de ea re statuendi potestas fuerit, dimissus erit; qui artis ludicrae pronuntiandive causa in scaenam prodierit; qui lenocinium fecerit; qui in iudicio publico calumniae praevaricationisve causa quid fecisse iudicatus erit; qui furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo et fraude suo nomine damnatus pactusve erit; qui pro socio, tutelae, mandati, depositi, suo nomine, non contrario iudicio, damnatus erit; qui eam quae in potestate eius esset, genero mortuo, cum eum mortuum esse sciret, intra id tempus quo elugere virum moris est, antequam virum elugeret, in matrimonium collocaverit, eamve sciens quis uxorem duxerit,

non iussu eius in cuius potestate est; et qui eum quem in potestate haberet, eam de qua supra comprehensum est, uxorem ducere passus fuerit; quive suo nomine, non iussu eius in cuius potestate esset, eiusve nomine quem quamve in potestate haberet, bina sponsalia binasve nuptias in eodem tempore constitutas habuerit. *Digest.* III, 2, 1

Praetor ait: Si quis eum apud quem alea lusum esse dicetur verberaverit damnumve ei dederit sive quid eo tempore dolo eius subtractum est, iudicium non dabo. In eum qui aleae ludendae causa vim intulerit, uti quaeque res erit, animadvertam. *Digest.* XI, 5, 1

Ait praetor: In via publica itinereve publico facere immittere quid, quo ea via idve iter deterius sit fiat, veto.

Quod in via publica itinereve publico factum immissum habes, quo ea via idve iter deterius sit fiat, restituas.

Quo minus illi via publica itinereve publico ire agere liceat, vim fieri veto.

Quo minus illi viam publicam iterve publicum aperire reficere liceat, dum ne ea via idve iter deterius fiat, vim fieri veto. *Digest.* XXXXIII, 8, 2 (passim)

Aediles aiunt: Qui iumenta vendunt, palam recte dicunto quid in quoque eorum morbi vitiique sit; utique optime ornata vendendi causa fuerint, ita emptoribus tradentur. Si quid ita factum non erit, de ornamentis restituendis, iumentisve ornamentorum nomine redhibendis, in diebus sexaginta; morbi autem vitiive causa inemptis faciendis, in sex mensibus; vel quo minoris, cum venirent, fuerint, in anno iudicium dabimus. Si iumenta paria simul venierint, et alterum in ea causa fuerit ut redhiberi debeat, iudicium dabimus quo utrumque redhibeatur. *Digest.* XXI, 1, 38

Deinde aiunt aediles: Ne quis canem, verrem, vel minorem aprum, lupum, ursum, pantheram, leonem (aliudve quod noceret animal, sive soluta sint, sive alligata, ut contineri vinculis quo minus damnum inferant non possint), qua vulgo iter fiet, ita habuisse velit ut cuiquam nocere damnumve dare possit. Si adversus ea factum erit, et homo liber ex ea re perierit, solidi ducenti; si nocitum homini libero esse dicetur, quanti bonum aequum iudici videbitur, condemnetur; ceterarum rerum, quanti damnum datum factumve sit, dupli.

Digest. XXI, 1, 40–42

NOTAE CENSORIAE

SI QUIS agrum suum passus fuerat sordescere eumque indiligenter curabat ac neque araverat neque purgaverat, sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictui, non id sine poena fuit, sed erat opus censorium censoresque aerarium faciebant. Item, quis eques Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, "inpolitiae" notabatur; id verbum significat quasi tu dicas "incuriae." Cuius rei utriusque auctoritates sunt et M. Cato id saepenumero adtestatus est.

AUL. GELL. IV, 12

Inter censorum severitates tria haec exempla in litteris sunt castigatissimae disciplinae. Unum est huiuscemodi: Censor agebat de uxoribus sollemne iusiurandum; verba erant ita concepta "Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes?" Qui iurabat cavillator quidam et canicula et nimis ridicularius fuit. Is locum esse sibi ioci dicundi ratus, cum ita uti mos erat censor dixisset: "Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes?" "Habeo equidem," inquit,

"uxorem sed non hercle ex animi mei sententia." Tum censor eum, quod intempestive lascivisset, in aerarios rettulit causamque hanc ioci scurrilis apud se dicti subscripsit.

Altera severitas eiusdem sectae disciplinaeque est. Deliberatum est de nota eius qui ad censores ab amico advocatus est et in iure stans clare nimis et sonore oscitavit, atque inibi ut plecteretur fuit, tamquam illud indicium esset vagi animi et alucinantis et fluxae atque apertae securitatis. Sed cum ille deiurasset invitissimum sese ac repugnantem oscitatione victum tenerique eo vitio quod "oscedo" appellatur, tum notae iam destinatae exemptus est. Publius Scipio Africanus, Pauli filius, utramque historiam posuit in oratione quam dixit in censura, cum ad maiorum mores populum hortaretur.

Item aliud refert Sabinus Masurius in septimo memoriali severe factum: Censores, inquit, Publius Scipio Nasica et Marcus Popilius, cum equitum censum agerent, equum nimis strigosum et male habitum sed equitem eius uberrimum et habitissimum viderunt, et "Cur," inquiunt, "ita est ut tu sis quam equus curatior?" "Quoniam," inquit, "ego me curo, equum Statius nihili servos." Visum est parum esse reverens responsum relatusque in aerarios ut mos est.

AUL. GELL. IV, 20

Non enim mihi exemplum summi et clarissimi viri, P. Africani, praetereundum videtur; qui cum esset censor et in equitum censu C. Licinius Sacerdos prodisset, clara voce ut omnis contio audire posset dixit se scire illum verbis conceptis peierasse; si qui contra vellet dicere, usurum esse eum suo testimonio. Deinde cum nemo contra diceret, iussit equum traducere.

CIC. *pro Cluentio*, 134

DEFINITIONS FROM PAULUS AND FESTUS

Abacti magistratus dicebantur, qui coacti deposuerant imperium. (23)[1]

Adlecti dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum sunt numero adsumpti. Nam patres dicuntur, qui sunt patricii generis: conscripti, qui in senatu sunt scriptis adnotati. (7)

Aedilis initio dictus est magistratus, quia aedium non tantum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat. Postea hoc nomen et ad magistratus translatum est. Dictus est autem aedilis, quod facilis ad eum plebi aditus esset. Sed et aedilatus (aedilitas?) dicebatur eadem dignitas, sicut pontificatus, magistratus. (13)

Ambitus proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis ad circumeundi facultatem relictus. Ex quo etiam honoris ambitus dici coeptus est a circumeundo supplicandoque. Ambitio est ipsa actio ambientis. (16)

Annaria lex dicebatur ab antiquis ea qua finiuntur anni magistratus capiendi. (27)

Auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus, quod ibi augures publice auspicarentur. (18)

Caduca auspicia dicunt, cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu. (64)

Caduceatores, legati pacem petentes. Cato: "Caduceatori" inquit "nemo homo nocet." (47)

Caelestia auguria vocant, cum fulminat aut tonat. (64)

Censionem facere dicebatur censor, cum multam equiti inrogabat. (54)

Censores dicti, quod rem suam quisque tanti aestimare solitus sit quantum illi censuerint. (58)

Centumviralia iudicia a centumviris sunt dicta. Nam cum essent Romae triginta et quinque tribus, quae et curiae sunt

[1] References are to pages of Müller's edition, and to Paulus unless preceded by an F.

dictae, terni ex singulis tribubus sunt electi ad iudicandum, qui centumviri appellati sunt; et, licet quinque amplius quam centum fuerint, tamen, quo facilius nominarentur, centumviri sunt dicti. (54)

Centuria in agris significat ducenta iugera; in re militari centum homines. (53)

Centuriata comitia item curiata comitia dicebantur, quia populus Romanus per centenas turmas divisus erat. (54)

Clivia auspicia dicebant, quae aliquid fieri prohibebant; omnia enim difficilia clivia vocabant, unde et clivi loca ardua. (64)

Comitiales dies appellabant, cum in comitio conveniebant; qui locus a coeundo, id est insimul veniendo, est dictus. (38)

Conscripti dicebantur, qui ex equestri ordine patribus adscribebantur ut numerus senatorum expleretur. (41)

Contio significat conventum, non tamen alium quam eum qui a magistratu vel a sacerdote publico per praeconem convocatur. (38)

Conventus quattuor modis intelligitur. Uno cum quemlibet hominem ab aliquo conventum esse dicimus. Altero cum significatur multitudo ex conpluribus generibus hominum contracta in unum locum. Tertio cum a magistratibus iudicii causa populus congregatur. Quarto cum aliquem in locum frequentia hominum supplicationis aut gratulationis causa conligitur. (41)

Cum imperio est dicebatur apud antiquos, cui nominatim a populo dabatur imperium. (50)

Cum populo agere, hoc est populum ad concilium aut comitia vocare. (50)

Cum potestate est dicebatur de eo qui a populo alicui negotio praeferebatur. (50)

Curia locus est ubi publicas curas gerebant. Calabra curia dicebatur ubi tantum ratio sacrorum gerebatur. Curiae etiam nominantur in quibus uniuscuiusque partis populi Romani quid geritur, quales sunt hae in quas Romulus populum distribuit, numero triginta, quibus postea additae sunt quinque, ita ut in sua

quisque curia sacra publica faceret feriasque observaret, hisque curiis singulis nomina Curiarum virginum inposita esse dicuntur, quas virgines quondam Romani de Sabinis rapuerunt. (49)

Curiata comitia a curiis sunt appellata. (49)

Curules magistratus appellati sunt, quia curru vehebantur. (49)

Deminutus capite appellatur qui civitate mutatus est; et ex alia familia in aliam adoptatus; et qui liber alteri mancipio datus est; et qui in hostium potestatem venit; et cui aqua ignique interdictum est. (70)

Dici mos erat Romanis in omnibus sacrificiis precibusque: populo Romano Quiritibusque, quod est Curensibus, quae civitas Sabinorum potentissima fuit. (67)

Inebrae aves, quae in auguriis aliquid fieri prohibent; et prorsus omnia inebra appellantur quae tardant vel morantur agentem. (109)

Infra classem significantur qui minore summa quam centum et viginti milium aeris censi sunt. (113)

Inlicium vocare antiqui dicebant ad contionem vocare. (113)

Lapidem silicem tenebant iuraturi per Iovem, haec verba dicentes: "Si sciens fallo, tum me Dispiter salva urbe arceque bonis eiciat, ut ego hunc lapidem." (115)

Lictores dicuntur, quod fasces virgarum ligatos ferunt. Hi parentes magistratibus delinquentibus plagas ingerunt. (115)

Magisterare, moderari. Unde magistri non solum doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum equitum dicuntur, quia omnes hi magis ceteris possunt; unde et magistratus, qui per imperia potentiores sunt quam privati; quae vox duabus significationibus notatur. Nam aut ipsam personam demonstrat, ut cum dicimus: magistratus iussit, aut honorem, ut cum dicitur: Titio magistratus datus est. (126)

Maior magistratus consul dicitur. (136)

Maiorem consulem L. Caesar putat dici vel eum penes quem fasces sint, vel eum qui prior factus sit. Praetorem autem maiorem, Urbanum; minores ceteros. (F 161)

Maiores flamines appellabantur patricii generis, minores plebei. (151)

Manu mitti servus dicebatur, cum dominus eius, aut caput eiusdem servi aut aliud membrum tenens, dicebat: Hunc hominem liberum esse volo, et emittebat eum e manu. (159)

Materfamiliae non ante dicebatur quam vir eius paterfamiliae dictus esset; nec possunt hoc nomine plures in una familia praeter unam appellari. Sed nec vidua hoc nomine, nec quae sine filiis est, vocari potest. (125)

Matronae a magistratibus non summovebantur, ne pulsari contrectarique viderentur, neve gravidae concuterentur. Sed nec viri earum sedentes cum uxoribus in vehiculo descendere cogebantur. (155)

Maximam multam dixerunt trium milium et viginti assium, quia non licebat quondam pluribus triginta bubus et duabus ovibus quemquam multari, aestimabaturque bos centussibus, ovis decussibus. (144)

Maximum praetorem dici putant ali eum qui maximi imperi sit; ali, qui aetatis maximae. Pro collegio quidem augurum decretum est, quod in Salutis augurio praetores maiores et minores appellantur, non ad aetatem, sed ad vim imperii pertinere. (F 161)

Maximus curio, cuius auctoritate curiae, omnesque curiones reguntur. (126)

Moenia praeter aedificia significant etiam et munia, hoc est officia. (151)

Mos est institutum patrium; id est memoria veterum pertinens maxime ad religiones caerimoniasque antiquorum. (F 157)

Muneralis lex vocata est qua Cincius cavit ne cui liceret munus accipere. Plautus: "Neque muneralem legem neque lenoniam, rogata fuerit necne, flocci aestimo." (143)

Municeps est, ut ait Aelius Gallus, qui in municipio liber natus est. Item qui ex alio genere hominum munus functus est. Item qui in municipio ex servitute se liberavit a municipe.

At Servius filius aiebat, initio fuisse qui ea conditione cives fuissent, ut semper rem publicam separatim a populo Romano haberent, Cumanos, Acerranos, Atellanos, qui aeque cives Romani erant et in legione merebant, sed dignitates non capiebant. (F 142)

Munus significat officium, cum dicitur quis munere fungi. Item donum quod officii causa datur. (140)

Necessari sunt, ut Gallus Aelius ait, qui aut cognati aut adfines sunt, in quos necessaria officia conferuntur praeter caeteros. (F 162)

Nexum est, ut ait Gallus Aelius, quodcumque per aes et libram geritur: id quod necti dicitur. Quo in genere sunt haec: testamenti factio, nexi datio, nexi liberatio. (F 165)

Niquis scivit centuria est quae dicitur a Ser. Tullio rege constituta, in qua liceret ei suffragium ferre qui non tulisset in sua, nequis civis suffragii iure privaretur: nam sciscito significat sententiam dicito, ac suffragium ferto, unde scita plebis. Sed in ea centuria, neque censetur quisquam, neque centurio praeficitur, neque centurialis potest esse, quia nemo certus est eius centuriae. Est autem niquis scivit, nisi quis scivit. (F 177)

Numera senatum ait quivis senator consuli, cum impedimento vult esse quo minus faciat senatus consultum, postulatque ut aut res quae adferuntur, dividantur; aut singuli consulantur; aut si tot non sint senatores quo numero liceat perscribi senatus consultum. (F 170)

Nundinas feriatum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi vendendique causa, eumque nefastum, ne si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores. (F 173)

Obiurare, iureiurando obstringere. (188)

Obnoxius, poenae obligatus ob delictum. (191)

Obrogare est legis prioris infirmandae causa legem aliam ferre. (187)

Obtestatio est, cum deus testis in meliorem partem vocatur; detestatio, cum in deteriorem. (184)

Optima lex . . . in magistro populi faciundo, qui vulgo dictator appellatur, quam plenissimum posset ius eius esse significabatur, ut fuit Mani Valerii M. f. † Volusuinae gentis †, qui primus magister a populo creatus est. Postquam vero provocatio ab eo magistratu ad populum data est, quae ante non erat, desitum est adici "ut optima lege," ut pote imminuto iure priorum magistrorum. (F 198)

Ovibus duabus multabantur apud antiquos in minoribus delictis, ut in maioribus † ambubus †; nec hunc ultra numerum excedebat multatio quae, postea quam aere signato uti civitas coepit, pecoraque multaticia incuria corrumpebantur, unde etiam peculatus crimen usurpari coeptum est, facta est aestimatio pecoralis multae et boves centenis assibus, oves denis aestimatae. Inde suprema multa, id est maxima, appellatur tria milia aeris. Item vicesis minoribus delictis. (F 202)

Parricidi quaestores appellabantur qui solebant creari causa rerum capitalium quaerendarum. Nam parricida non utique is qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcumque hominem indemnatum. Ita fuisse indicat lex Numae Pompili regis his composita verbis: "Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, parricidas esto." (221)

Pedarium senatorem . . . significat Lucilius cum ait: . . . "agipes vocem mittere coepit"; qui ita appellatur, quia tacitus transeundo ad eum cuius sententiam probat, quid sentiat indicat. (F 210)

Pedestria auspicia nominabant, quae dabantur a vulpe, lupo, serpente, equo, ceterisque animalibus quadrupedibus.

Pestifera auspicia esse dicebant, cum cor in extis, aut caput in iocinere non fuisset.

Piacularia auspicia appellabant, quae sacrificantibus tristia portendebant, cum aut hostia ab ara effugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis quam oporteret, cecidisset. (244)

Plebei aediles dissidente plebe a patribus sunt creati. (231)

Plebeium magistratum neminem capere licet, nisi qui ex plebe est. (231)

Praeteriti senatores quondam in opprobrio non erant, quod, ut reges sibi legebant sublegebantque quos in consilio publico haberent, ita post exactos eos consules quoque et tribuni militum consulari potestate coniunctissimos sibi quosque patriciorum, et deinde plebeiorum legebant, donec Ovinia tribunicia intervenit, qua sanctum est ut censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in senatum legerent. Quo factum est ut qui praeteriti essent et loco moti, haberentur ignominiosi. (F 246)

Praetor ad portam nunc salutatur is qui in provinciam pro praetore aut pro consule exit; cuius rei morem ait fuisse Cincius in libro de consulum potestate talem: "Albanos rerum potitos usque ad Tullum regem; Alba deinde diruta usque ad P. Decium Murem consulem populos Latinos ad caput Ferentinae, quod est sub monte Albano, consulere solitos, et imperium communi consilio administrare; itaque quo anno Romanos imperatores ad exercitum mittere oporteret iussu nominis Latini, conplures nostros in Capitolio a sole oriente auspicis operam dare solitos. Ubi aves addixissent, militem illum qui a communi Latio missus esset, illum quem aves addixerant, praetorem salutare solitum, qui eam provinciam optineret praetoris nomine." (F 241)

Priscae Latinae coloniae appellatae sunt, ut distinguerent a novis, quae postea a populo dabantur. (F 241)

Prisci Latini proprie appellati sunt hi qui priusquam conderetur Roma fuerunt. (226)

Prohibere comitia, dicitur vitiare diem morbo qui vulgo quidem maior, ceterum ob id ipsum comitialis appellatur. Cato in ea oratione quam scribsit de sacrificio commisso: "Domi cum auspicamus, honorem me deum immortalium velim habuisse. Servi, ancillae, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem servo aut ancillae dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, ne is quidem mihi vitium facit." (F 234)

Proletarium capite censum, dictum quod ex his civitas constet, quasi proles progenie; idem et proletanei. (226)

Promulgari leges dicuntur, cum primum in vulgus eduntur, quasi provulgari. (224)

Qui hoc censetis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem. His verbis praeit ominis videlicet causa, ne dicat, qui non censetis. (F 261)

Qui patres, qui conscripti vocati sunt in Curiam? Quo tempore regibus urbe expulsis, P. Valerius consul propter inopiam patriciorum ex plebe adlegit in numerum senatorum C et LX et IIII, ut expleret numerum senatorum trecentorum et duo genera appellaret. (F 254)

Receptus mos est, quem sua sponte civitas alienum adscivit. (F 289)

Reciperatio est, ut ait Gallus Aelius, cum inter populum et reges nationesque et civitates peregrinas lex convenit quo modo per reciperatores reddantur res reciperenturque, resque privatas inter se persequantur. (F 274)

Relegati dicuntur proprie, quibus ignominiae aut poenae causa necesse est ab urbe Roma aliove quo loco abesse lege †senatuique† consulto, aut edicto magistratuus; ut etiam Aelius Gallus ait. (F 278)

Resecrare, solvere religione, utique cum reus populum comitiis oraverat per deos ut eo periculo liberaretur, iubebat magistratus eum resecrare. Plautus: "Resecroque, mater, quod dudum obsecraveram." (280)

Ritus est mos conprobatus in administrandis sacrificiis. (F 289)

Rogat est consulit populum, vel petit ab eo ut id sciscat quod ferat. Unde nos quoque in consuetudine habemus pro petere et orare. (F 282)

Rogatio est, cum populus consulitur de uno pluribusve hominibus, quod non ad omnis pertineat, et de una pluribusve rebus, de quibus non omnibus sanciatur. Nam quod in omnis

homines resve populus scivit, lex appellatur. Itaque Gallus Aelius ait: Inter legem et rogationem hoc interest. Rogatio est genus legis; quae lex, non continuo ea rogatio est. Rogatio non potest non esse lex, si modo iustis comitiis rogata est. (F 266)

Sacratae leges sunt, quibus sanctum est, quicquid adversus eas fecerit, sacer alicui deorum †sicut† familia pecuniaque. Sunt qui esse dicant sacratas, quas plebes iurata in monte Sacro sciverit. (F 318)

Sacrosanctum dicitur, quod iureiurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte poenas penderet. Cuius generis sunt tribuni plebis aedilesque eiusdem ordinis; quod adfirmat M. Cato in ea quam scripsit, aedilis plebis sacrosanctos esse. (F 318)

Satura et cibi genus ex variis rebus conditum est, et lex multis alis legibus conferta. Itaque in sanctione legum adscribitur: "Neve per saturam abrogato, aut derogato." T. Annius Luscus in ea quam dixit adversus Ti. Gracchum: "Imperium quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est." Et C. Laelius in ea quam pro se dixit: "Dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur." (F 315)

Scita plebei appellantur ea quae pleps suo suffragio sine patribus iussit, plebeio magistratu rogante. (F 293)

Senacula tria fuisse Romae, in quibus senatus haberi solitus sit, memoriae prodidit Nicostratus in libro qui inscribitur de Senatu habendo. Unum ubi nunc est aedis Concordiae inter Capitolium et Forum, in quo solebant magistratus dumtaxat cum senioribus deliberare; alterum ad portam Capenam; tertium citra aedem Bellonae, in quo exterarum nationum legatis quos in urbem admittere nolebant, senatus dabatur. (F 347)

Senatores a senectute dici satis constat; quos initio Romulus elegit centum, quorum consilio rem publicam administraret. Itaque etiam patres appellati sunt; et nunc cum senatores adesse iubentur, "quibusque in senatu sententiam dicere licet";

quia hi qui post lustrum conditum ex iunioribus magistratum ceperunt, et in senatu sententiam dicunt, et non vocantur senatores ante quam in senioribus sunt censi. (F 339)

Senatus decretum a consulto Aelius Gallus sic distinguit, ut id dicat particulam quandam esse senatus consulti, ut cum provincia alicui decernitur, quod tamen ipsum senatus consulti est. (F 339)

Sex suffragia appellantur in equitum centuriis, quae sunt adiectae ei numero centuriarum quas Priscus Tarquinius rex constituit. (F 334)

Viatores appellantur, qui magistratibus apparent, eo quia initio, omnium tribuum cum agri in propinquo erant urbis atque adsidue homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in via quam urbe, quod ex agris plerumque homines evocabantur a magistratibus. (F 371)

ABBREVIATIONS

a. d., *ante diem*
An., *Aniensis* (tribus)
C., *Censuere*
d. e. r. i. c., *de ea re ita censuere*
f., *filius*
Fab., *Fabia* (tribus)
HS, *sestertii*, *-orum*, etc.
h. l., *haec lex*, *huius legis*, *hac lege*, etc.
h. l. n. r., *hac lege nihil rogatur*
I, *singulos*
IIvirei, IIviratus, *duumviri*, *duumviratus*
IIIIvirei, IIIIviratus, *quattuorviri*, *quattuorviratus*
IↃↃↃ, *50,000*
Id., *idus*
K., *kalendas*
p. q. t., *primo quoque tempore*
pl. ve, *plebisve*, *plebive*, etc.
Pom., *Pomptina* (tribus)
Pop., *Popilia* (tribus)
pr., *pridie*
Pup., *Pupinia* (tribus)
Qui., *Quirina* (tribus)
r. p. p. R. q. p., *res publica populi Romani quam primum*
s. f. s., *sine fraude sua*
S. C., *senatus consultum*
scrib., *scribendo*
Ter., *Terentina* (tribus)
tr. pl., *tribunus plebis*, *tribuni plebis*, etc.
tr. q. pl., *tribunusque plebis*, *tribunique plebis*, etc.
v. f., *verba fecit*

ANNOUNCEMENTS

SIGHT READING IN LATIN FOR THE SECOND YEAR

Edited by Hiram H. Bice, recently Head of the Latin Department, DeWitt Clinton High School, New York City

12mo, cloth, xii + 159 pages, illustrated, 50 cents

This book provides, together with the reading matter selected, such helps as will aid the pupil to gain real power in sight reading. The material for reading is taken from Cæsar's "Civil War" and the "Gallic War," Books III to VII inclusive, with a few exercises from the "Lives" of Nepos. Each exercise is complete in itself. This material is preceded by thirty exercises of easy Latin taken from Eutropius, Aulus Gellius, Pliny, Cicero, and Livy, modified where necessary.

The book may be used in class without previous preparation by the pupil, and for this use each exercise is provided with the customary notes and vocabulary of words which the pupil is not expected to know.

Each exercise in the first two thirds of the book, however, is preceded by (1) a list of references to the grammars of Allen and Greenough, Bennett, Gildersleeve, and Harkness, citing grammatical peculiarities illustrated in the passage immediately following; (2) a very brief list of words, all found in the passage, suggested as the basis for a drill in inflections; (3) a rule relating to the arrangement of words in the Latin sentence, also illustrated in the passage; (4) a list of words which the pupil would normally meet for the first time in this passage, given in the form in which they occur, without meanings. These are intended for previous preparation as the teacher may direct.

TWO LATIN PLAYS

By Susan Paxson, High School, Omaha, Nebr.

12mo, cloth, xii + 39 pages, illustrated, 45 cents

These plays are designed to create a new interest in the study of the classics among secondary-school pupils. They are the only dramatizations in Latin in any way suitable for reproduction in high schools, and where they have been produced they have proved an effective stimulus to the class work.

The plays give in turn a picture of Roman school life and of a high-class Roman wedding in the time of Cæsar and Cicero. The greatest care has been taken to make details authentic and the descriptions true to life. The diction is accurately classic, and there is plenty of humor and action.

50a

GINN AND COMPANY Publishers

ALLEN AND GREENOUGH SERIES OF LATIN TEXTBOOKS

THE well-known success of the Allen and Greenough Series of Latin Textbooks rests upon the foundation of scholarship in editing, excellence in mechanical detail, adaptability to classroom use, and a constant regard for educational progression. The editors have been and are the great scholars and teachers of their time. Their object is to fit each new text to the needs of the student. By constant revision the whole series is kept strictly up to date in equipment, arrangement, and form.

New Latin Grammar	$1.20
Shorter Latin Grammar	.95
Second Year Latin	1.25
Cæsar: Gallic War, Books I–VII (Revised Edition)	1.25
Cæsar: Gallic War, Books I–IV (Revised Edition)	1.00
Cicero: Select Orations (Revised Edition)	1.40
Cicero: Select Orations and Letters	1.30
Cicero: Six Orations	1.00
Ovid: Selections, Chiefly the Metamorphoses	
With Vocabulary	1.50
Without Vocabulary	1.12
Sallust: Catiline (Revised Edition)	.90
Virgil (Revised Edition)	
Æneid, Books I–VI	1.50
Æneid, Books I–VI, and Bucolics	1.60
Georgics and Æneid, Books VII–XII	1.12

Text editions of Cæsar, Cicero (either the Orations or the Orations and Letters), and Virgil's Æneid, Books I–VI, with Bucolics, each 40 cents. Text edition of Æneid, Books VII–XII, 35 cents. Text edition of Virgil complete, 75 cents.

52 a

GINN AND COMPANY PUBLISHERS

181997

Howard, Albert Andrew (ed.)
Latin selections.

LaL.Gr
H8483ny

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED